


PRAECIOSA AC NOBILISSIMA ARTIS CHYMIAE COLLECTANEA DE OCCVLtissimo ac præciosissimo Philosophorum lapide.

PER

Ianum Lacinium Calabrum Minoritam Theologorum minimum.

NVNC PRIMVM IN LVCEM AEDITA, cum totius libelli capitum Indice.





Norimbergæ apud Gabrielem Hayn, Ioann. Petrei generum.

M. D. LIIII.

AMPLISSIMIS

VIRTVTE ET NOBILITATE

VIRIS, DOMINO IOANNI IACOBO Sacræ Cæsareæ & Regiæ maiestatis à consilijs, & domino GEORGIO, Fuggaris, dominis in Kirchberg & Vueyssenhorn, dominis suis clementissimis.



ISTORIÆ NOS DOcent, non solum Philosophos, sed etiam summos Principes & Reges in extruendis, amplificandisq; Bibliothecis plurimum operæ & sumptus impendisse, easq; per hæreditariam successionem, non secus ac ingentes Thesauros experijsse. Viderunt namq; memoriam tam labilem, & interitui obnoxiam, ut quæcunq; bene excogitata, & inuenta erant, breui tempore interirent, si non posteris saltem aliqua illorum testamenta extarent.

Propterea non solummodo assequuti sunt, ut inuenta conseruarentur, uerum ansam præbuerunt

a 2 posteris,

posteris, ut à patribus bene incœpta, ſedula meditatione, & indefeſsis ſcrutationibus, abſoluerent.

Quod in Aſtronomia, diuina certe arte, contigiſſe uidemus, quantum Ptolemæus, ipſiusq́ ſequutores ex præcedentium obſeruationibus adiuti fuerint, ita & ſemper certiores cauſas diuerſitatum motuum aſsignarint. Et, ut unico ſaltem exemplo oſtendam, motus octauæ Sphæræ, nunquam potuiſſet ſaluari, niſi primi Aſtronomi ſuas obſeruationes poſteris reliquiſſent, & ſic ceu per manus alter alteri maiorem in experiendo, obſeruandoq́ motuum diuerſitates, inſtructionem reliquiſſent, ex quibus & temporum, annorumq́ diuerſitates depræhendere contigit. Ideoq́ ſi non Hipparchus Abrachis (qui ante Chriſtum natum 1700. ferè annis uixit) quantitatem anni 365 $\frac{1}{4}$ $\frac{1}{130}$ diei inuentam, ſcriptis mandaſſet. Et Ptolemæus qui 365 $\frac{1}{4}$ diei præciſe. Item, Cæſar Auguſtus, qui paulò poſt Ptolemæum 365 $\frac{1}{4}$ diei ferè animaduertiſſet, Thebith Benharad Sarracenus, motum trepidationis octauæ Sphæræ ſuper paruo circulo, nunquam poſuiſſet. Quem motum deinde ſubſequentes, Alphonſus, Almeon, Peurbachius, Dominicus Maria Nouarienſis, Regiomontanus, Vuernerus &c. ſuis obſeruationibus uerum eſſe comprobarunt.

Hæc

Hæc autem eò dico, quod priorum obseruatio-nes, posteriorum speculationibus magno auxilio fuerunt. Quod idem etiam in omnibus artibus euenire necesse est. Propterea summopere laudandi sunt, qui (ut excolantur bonæ artes, & studiosorum seduli conatus promoueantur) Bibliothecas extruunt, & largissime ditant, ut ea quæ prædecessores summa diligentia, & indefesso studio indagati sunt, exactius perspiciant, examinent, & addant à prioribus nondum inuenta, semper posteris ulterius inuestigandi ansam præbentes.

Cum autem mihi notissimum sit, Vestras Amplitudines, in extruenda, amplificandaq; Bibliotheca, etiam ex peregrinis, & Barbaris nationibus, magnis sumptibus & laboribus, esse occupatissimas, & incidissem in hæc IANI Lacinij Minoritæ collectanea Chymica, uolui meo prælo ista excudere, ut ea quæ doctus uir iste Lacinius, ex multorum lucubrationibus congessit, in lucem prodirent, hac potissimum causa, ut doctis uiris altiora meditandi, perscrutandiq; occasionem darent, & fraudulentos istos circulatores, & impostores, omnibus ludibrio exponerẽt. Qui Libellus (meo saltem iudicio) cum sit plane Philosophicus, & plus in recessu habeat quàm in fronte promittit, non plane indignus esse mihi uidetur,

tur, ut V. A. Bibliotheca inseratur. Nam hortus aspectu iucundissimus esse censetur, qui flosculis, & herbis, colore, & odore uariegatus, intuentes oblectat. Eô propter hunc libellum V. A. dedicandum censui, ut ornaretur uestra Bibliotheca, & haberent ipsius cultores, rei paucis cognitæ, primordia, & elementa, ulterius inuestigandi. Ars enim hæc, ut non est uana, sic & antiqua, & ueteribus optime cognita, quod multorum fidedignorum testimonijs probari potest. Sed ita forsan placuit Diuinæ prouidentiæ ut cum quottidie res humanæ (quæ aliàs caducæ sunt) pessum eant, ita & hæc ars corruat. Suidas refert Diocletianum omnes in Chymia libros Ægiptiorũ combusisse, ne hoc thesauro freti, Romanis resisterent. Habemus & recentiora exempla & testimonia, hãc artem certã esse probantia, sed ea recensere neque argumentũ postulat, nec necessitas requirit. Et quia saltem collectanea sunt, omnia debito modo nõ sunt composita, nolui autem authoris ordinem inuertere. Deinde non opus esse censeo, ut omnia capitulatim, inhoc libello contenta, recenseantur, cum tędiosum hoc sit, & præfatione indignum. Hoc unicum saltem V. A. & beneuolũ lectorem admonuisse uolo, quod ea quæ in quarto libello practice scribit, ænigmata potius quam ut secundum litteram uera esse, intelligantur.

tur. Sunt aūt ferè eiusmodi, qualia Geber Arabs, sum̃us Philosophus & Chymista, in secundo libro perfectionis magisterij, parte secunda, scribit. Hoc saltē suppliciter rogo, ut V.A. hęc collectanea uestro thesauro benigne adiūgatis. Quod ubi factū fuerit, V.A. me longe alacriorem reddent alios quoq; libellos, quos penes me habeo, excudendi, cum sciam quod & Hamuel dicit in coniugio massæ Solis & Lunæ, LIBROS ESSE VASA MEMORIAE, & FAMAM PERPETVAM SAPIENTVM. Bene ualeant V.A. quas Deus opt. max. diu incolumes omnibus bonis artibus, conseruet. Norimbergæ ex officina nostra 25 Februarij, Anno à nato Christo 1554.

V. A.

deditissimus

Gabriel Hayn iunior Typographus.

INDEX EORVM QVÆ IN SINGVLIS CAPITIbus quinque librorum de Lapide Philosophorum Iani Lacinij continentur.

Quot

Quan-

LIBRO SECVNDO COLLECTANEORUM Chymicorum, continentur hæc.

LIBRO TERTIO COLLECTANEorum Chymicorum, continentur hæc.

Detem-


LIBRO QVARTO COLLECTANEORUM Chymicorum continentur hæc.

LIBRO QVINTO COLLECtaneorum Chymicorum Iani Lacinij, continentur hæc.

Quomo-

INDEX.

COLLECTA.







COLLECTANEA IN ARTEM CHYMICAM, IANI LACINII CALABRI MINORItæ. Liber primus. Præfatio.



CAPVT I.



SIQVIDEM MAGNA ADhuc in hodiernum usq; diem repetiatur copia illorum, qui non saltem actiones, passiones & proprietates, uerũ etiam ipsam huius præciosissimę artis definitionem ueram prorsus ignorent. Propter quam olim à ueteribus Philosophis & antecessoribus nostris, summo studio, labore, atq; assidua & frequenti exercitatione, deniq; singulari quodam instinctu diuino inuenta atq; posteritati relicta, & ea de causa à multis nunc ita spreta, contempta atq; reiecta est, ut eam merè Sophisticam siue deceptoriam pro certo statuant, Iuxta commune illud Prouerbium: Scientia non habet inimicum, nisi ignorantem. Operæprecium igitur duxi primo & principaliter huius nobilissimæ artis ueram definitionem ponere, ita ut definitione uisa atq; perspecta, actiones & proprietates illius magis elucescant atq; in lucem prodeant, neq; amplius Sophistica, sed potius uerissima & diuina nuncupetur scientia.

Quid sit Chymia, & quas habeat proprietates. *Cap. II.*

 Chymia

CHymia est scientia, qua metallorum principia, causæ, proprietates, & passiones omniũ radicitus cognoscuntur, & quæ imperfecta & incõplete mixta & corrupta sunt, in uerũ aurum transmutentur &c. Per hoc quod dicitur scientia, datur intelligi genus suũ cui subijcitur, quia sicut medicina est scientia, sic & ista. Per hoc aũt quod dicitur metallorum, datur intelligi, quòd non de omnibus tractet mineralibus, sed solũ de metallis, primo & per se. Per hoc aũt quod dicit, principia, causæ, & proprietates atq; passiones. Per principia enim intelligit causam efficientem & finalem, quæ sunt causæ extrinsecæ. Nam efficienti proprie debetur ratio principij, quia est causa causarum, & imponit necessitatẽ ijs, quę sunt ad finẽ, ut tenetur secundo Physicorũ. Per causas aũt intelligit materiam & formam, quia sunt causæ intrinsecæ, & de substantia rei, & elementa rei. Per proprietates autem intelligit, proprias operationes metallorum in agendo, Sicut in auro confortare cor, & præseruare à corruptione. Per passiones autem intelligit, proprias operationes in patiendo, sicut in auro, pati ignem absq; aliqua sui læsione, & mutatione & diminutione, Et sicut in ferro non liquefieri ad ignem. Et sciendum, quia propriæ differentiæ rerum sunt nobis ignotæ, loco differentiarum nos assignamus in definitionibus proprietates & passiones, & sic facimus descriptiones, & non definitiones. Per hoc aũt quod dicit, incompleta & imperfecta &c. datur intelligi tota finalis intentio istius scientiæ, per quam scitur quis nam sit finis, & quæ materia illius. Ad cuius expositionem notandum est, quod nullum agens naturale ab actione sua in materia cessat, nec separatur, nisi cum introductione formæ, in illa materia. Ergo donec agens est coniunctum materiæ, uel agit in materiam,

riam, & res est imperfecta, quoniam perfectio rei, non est, nisi per introductionem formæ. Cum igitur in metallis omnibus argentum uiuum subijciatur loco materiæ, sulphur uero loco agentis, & introducentis formam, in illam materiam, ergo nullum metallum est completum & perfectum, nisi à quo separatum est sulphur. Et quia solum aurum est expoliatum omnino ab ipso, ideo solum aurum est perfectũ, & formatum, secundum primam & ueram intentionem naturæ. Et quia reliqua metalla omnia habent admixtionem sulphuris in materia: ergo ipsa non sunt formata, ergo nec completa. Dicuntur igitur omnia alia ab auro incompleta seu imperfecta, quia nondum adepta sunt formam, qua perficiuntur, et dicuntur incompleta, quia nondum peruenerũt ad finem in quo complentur, ac dicuntur incompletè mixta, quia agẽs adhuc est immixtum materiæ, & non separatum. Porrò dicuntur corrupta, quia hoc agens, id est sulphur, est unum ex magnis caussis corruptionis metallorum, quia per illud inficiuntur, denigrantur, euaporant, & comburuntur. Et ob hoc solum aurũ ab istis pasṡionibus est immune & liberum, tam in igne ꝙ extra ignem. Quicunq; igitur nititur transformare reliqua metalla in aurum, oportet necessario quod hoc faciat, cũ ipsorum expoliatione à sulphure illo, & non aliter, si uult uere sequi naturam, tunc enim fiunt aurum penitus, & tunc sunt perfecte completa, simplicia, & non corrupta. Et fit hoc in instanti per solum lapidem Philosophorum, qui generatur per ingenium artis, ualde extraneum & profundum (Dixit transmutentur) quia non sufficit alteratio sola, sed quod alterationem sequitur, transmutatio scilicet, ut generetur forma solis.

Alia definitio Chymiæ. *Cap.* III.

CHymia est ars ministralis, septem metallorum essentiam continens, qualiterq́; formæ eorum à diminutione: ad complementum deducantur, ostendens. ITEM LILIVM artem hāc sic definit. Chymia est substantia corporea, ex uno, & per unum composita, preciosiora adinuicem per operationem, cognitionem, & effectum coniungēs, & eadem naturali commixtione ingenij melioris, naturaliter conuertens. Prima ergo istarum definitionum, & nostra est, prout est scientia. Secunda est, pro ut instrumentum, scilicet ipsum Elixir, siue lapis Philosophorum complens, & perficiens. Absoluta uero nunc definitione propter Tyrones huius artis, quasdam probationes, artem dictam esse ueram, & non falsam siue Sophisticam, antequam practicam aliquam aggrediar, in medium proferendas esse censeo, quarum prima talis est.

Prima ratio confirmans artem Chymiæ esse ueram. *Cap.* IIII.

OMne indigestum ordinatum ad digestionem, Et omne impurum habile ad purificandū, potest complete digeri ac depurari. Sed metallorū quædam imperfectorum aliqua sunt indigesta, & impura, ut Iupiter & Saturnus. Et quædam impura tantum: ut Venus & Mars, & sicut habilia ad digestionem & purificationem cōpletam. Ergo ipsa possunt digeri & purificari complete. Sed complete digestū & purificatum, est esse aurum, & argentum & proprie aurum. Ergo ipsa possunt conuerti in aurū & argentū. Maior patet per Philosophū, quarto Metheororū, capitulo de digestione Optesi & Epsesi, qui dicit: Cū indigestionem patiuntur, scilicet Molensim, quæ cōtrariatur Epsesi, & Scatesin, quæ contrariatur Optesi, est ex indigestione caloris. Et si calor

digestiuus

digestiuus sufficiens adhibeatur, coquuntur & digeruntur complete. Finis enim digestionis est natura (ut ibi dicitur) id est, Generatio formæ in materia, ut in fine digestionis. Et cum in omni digestione sit aliqua superfluitas, oportet quod per aliquam digestionem fiat separatio eius, Quia calor homogenea congregat, & heterogenea segregat, ut ibidem dicitur. Et secundo de generatione & corruptione. Calor enim digerens res indigestas, generat speciem nouam, propter quod dicit Philosophus quarto Metheororum. Quod simplex generatio, & simplex permutatio harum uirtutum, scilicet calidi & frigidi, est opus digestionis, & generant cum sunt uincentia materiam, id est, humidum & siccum, Calor etiam exterior, æquipollet naturali, iuuando ipsum, ut complete digerat, & citius & melius. Vnde dicit Philosophus quarto Metheororum, Quandocunque enim digeritur materia, completur & fit. Et principium completionis à calore proprio accidit, quamuis per aliquod extrinsecorum adminiculantium compleatur. Quemadmodum cibus partim digeritur per balnea, & per alia similia, & principium est caliditas, quæ in ipso est, &c. Et dicit Auicenna Capitulo de signis complexionum, Quod cum calor naturalis fuerit debilis: sumendo res exteriores calefacientes, iuuant ambo se in calefaciendo, Propter quod uidemus in maturatione fructuum, quod deficiente calore exteriori: scilicet Solis, non maturantur fructus. Minor patet etiam. Quia digestio & indigestio in Metallis, est Optesis, & Scatesis, ut dicitur quarto Metheororum, capitulo de corporibus mineralibus Optesin autem passum est aurum solum: ex completa actione caloris, Reliqua uero metalla Scatesin, ex indigentia caloris non digerentis, & non depurantis

complete, ita quod etiam argentum quoddam ſcateſin paſſum eſt in comparatione ad ſolem, Opteſin autem paſſum eſt aurum. NOTANDVM, quod digeſtio epſeſis, & oppoſitum eius Molenſis, dicitur elixatio, & fit à calido & humido, extrahendo de materia, quæ digeritur, multum de humido naturali. Cum autem non completur hæc digeſtio, dicitur Molenſis, ſed digeſtio Opteſis, & eius oppoſitũ ſcateſis, dicitur aſſatio, & fit à calido & ſicco cum conſeruatione humidi naturalis, materiæ quæ digeritur, propter quod aſſa ſunt humidiora humiditate naturali, elixis, ut probatur quarto Metheororũ. Attende ſecundũ Albertum Magnum, quod alterius eſt modi euaporatio humidi in elixis, & alterius in aſſatis, Cuius ratio, quia ſpiritus calido exiſtente, in aqua calida, circumſtante aliquod elixabile, attrahit ad ſe humiditatem illius elixabilis, quod humidum in elixabili libenter exit. Quoniam inuenit ſuũ ſimile in circumſtantijs, humeroſitatẽ ſcilicet. Oppoſitũ eſt de humido aſſabili, quia inuenit ſiccum oppoſitum cũ calore circumſtante ipſum, & ſic remanet in profundo aſſabilis humiditas naturalis, quòd ſi aſſatio rigida & aſpera ſeu fortis eſſet, humiditatem naturalem diſsiparet cito, &c. Si igitur calor digeſtionis Opteſis, complete exhibeatur eis, per artem, ut iuuet naturalem calorem, digeſta & depurata, completa erũt. Ergo erunt aurum, ſed talis calor poteſt ſic exhiberi, imo & locus etiã ſecundum Philoſophum ibidem, qui dicit ſic: Et nihil differt ſiue in Organis naturalibus, ſiue artificialibus fiat. Si aũt propter eandem nimirũ cauſam uniuerſa erunt, &c. Et poſt dicit, Opteſis ergo, & Epſeſis fiunt quidem arte &c. Sic igitur fit generatio metalli noui, ex alio metallo, & transformatio per digeſtionẽ completam, in organo artificiali, quia quod incipit

generare

generare per digestionē, debet complere istud per digestionem, quia idem agens disponit ad formā, & dat formā, hoc est aūt natura siue sola siue auxiliata per artem. Non aūt est necesse, quod in eodem loco fiat, & maxime in mineralibus liquabilibus, ut patuit. Nonne uidemus Saturnū, & Solem, & metalla omnia generari in mineris à natura, ex suis principijs, quę sunt Sulphur & Mercurius? Sed necesse est primo congelationē istorū principiorū adinuicē fieri, ad generationem omniū metallorū, taliter, ut fiat ex eis quędā natura media, quę sit sicut uia & transitus à mollicie argenti uiui ad duriciem metallorū malleabilē. Hæc aūt media natura sic coagulata nō depurata est ꝑpter diuersam digestionē, et diuersam habitudinē, & proportionē miscibilium, in quāto, quali loco, & tempore, generatur omne metallū diuersum, propter finem diuersum. Qui fines omnes terminantur ad unum in natura, scilicet aurum, Ars ergo uolens sequi naturam ad talem finem, inquirit & inuenit hæc principia coagulata à natura, in hanc naturam mediam, & non depuratam, & conatur digerere, & depurare talem materiam, cum calore ignis, ut ex ea eliceat formam auri, cum qua omnia metalla imperfecta perficiat in Solem, cum ordinata sint à natura ad hunc finem. Et sicut differunt, forma, quam generat ars à composito, quod generat natura, quamuis ad unum finem ultimum ordinentur, Sic conueniens uidetur, quod regimen artis differat à regimine naturæ, non in materia, sed in digestione, calore, & loco, & tempore, & habitudine, & proportione miscibilium. Videtur ergo quod digestio, & locus, & ortus generationis metallorum, id est formæ metallorum, scilicet auri cum alijs circumstantijs, sit penitus possibilis apud artem. Si igitur

digestio

digeſtio quemadmodum dictum eſt, & locus ſiue organum artificiale, æquipollet naturali, Ergo neceſſario, quo ad locum & digeſtionem, ars Chymiæ eſt poſsibilis. Et cum digeſtio compleatur à calore naturali intrinſeco, & calor extrinſecus, æquipolleat naturali, iuuando ipſum. Ergo calor exterior in Chymia iuuabit naturalem interiorem, ut complete digerat metalla, quæ indigeſta ſunt, Ergo ars eſt poſſibilis. Et quia Philoſophus in libello de cœlo & mundo dicit; Oportet igitur qui uult inquirere rem, & de ea perſcrutari, ut contradicat ſibi contradictione uana, conuenienti aptacione rei quæſitæ. Et poteſt hoc facere, quando inquirit, & ſcit omnes differentias illius generis, &c. Vt ſi de metallis imperfectis quæramus dicentes; Si imperfecta poſſumus perficere in perfecta ſequendo naturam, utrum è conuerſo perfecta poſſumus facere imperfecta, & uidetur quod ſic. Nam ſi poſſumus formare res perfectas, multo magis imperfectas, maxime eiuſdem generis, præſertim cum uia ſint, & ſemita, & medium, ad perfecta. Et non poſsit fieri tranſitus de extremo ad extremũ niſi per medium. Reſpondetur. Cum ars nõ intendit nec poſsit generare aliquod metallorũ, de nouo omnino, ſed ſolũ imperfecta perficere, miniſtrando naturæ, Incongruũ ergo & irrationabile uidetur; ut perfecta niteretur imperficere, quia neq; natura hoc facit in ſuis mineris. Similiter nec unũ imperfectũ in aliud imperfectũ tranſmutat, quia natura nõ facit hoc, niſi forte Saturnũ in Iouẽ, quod tamẽ ignotũ eſt, quia imperfecta ſunt in uia & ſemita ad perfectionẽ, & nõ è conuerſo abſq; trãſitu aliquorũ imperfectorũ, ad aliquod imperfectũ primo. Item natura generat Solẽ, quandoq; ex ſuis principijs abſq; tranſitu, per diſpoſitiones et ſemitas alicuius alterius metallorũ.

Similiter

Similiter generat eadem aurum, per dispositiones & semitas alicuius illorum. Tamen non uidetur mihi, quòd ars posſit sequi naturã realiter, scilicet quod generet Elixir tale, quod conuertat aliquod metallum in æs, aut Saturnũ, aut Iouem uel Martem, nisi secundum quandam similitudinem. Quia non credo, quòd posſit occultari in Mercurio Sulphur taliter, & tantum ad suum Elixir componendũ, quod talis conuersio, permutatio fiat. Immiscere etiam partem sulphuris determinatam in eis, scilicet imperfectis, ita determinatam, & tamen diuersam in quantitate, & qualitate, penitus ignoramus, sed non miscere absolute. Quamuis Geber dicit capitulo de sublimatione Mercurij, & capitulo de coagulatione, quod accidat illa fieri, per non rectam depurationem argenti uiui, à sulphure. Hoc aũt usq; nunc ignoro. Sed quia expoliatio argenti uiui â sulphure sibi commixto, quod ipsum decoxit taliter, est posſibilis, ita, ut remaneat argentum uiuum, purum, solutum & mortificatum. Ideo posſibile est, quod imitetur naturam in generando A uel B. Et quod Geber dicit: Quod accidit illa imperfecta fieri, propterea etiam dico, quòd hoc est casualiter, nobis ignorantibus, & non secundum nostram uoluntatem. Et sic patet, quod perfecta imperfecta fieri non posſint. Etsi dicatur nunc. Confitemur satis, quod per suum Elixir, debes trãsmutare imperfecta ad perfecta sufficienter digesta, in multo tempore uel in pauco, quia omnis digestio requirit sibi tempus sufficiens. Cum uero in proiectione tincturæ super corpora imperfecta, non obseruetur tempus sufficiens digestionis, quia sola liquefactione perficere imperfecta conantur, in hora uel etiam momento &c. quod est contra Philosophos. Dicunt enim quod generatio uel perfectio metalli, uix in mille annis compleatur,

tur, quamuis ars multum potest abbreuiare, quod enim natura facit in centum annis, hoc ars perficit in quinquaginta diebus, ergo non uidetur quod sit tempus sufficiens talis digestionis completiue imperfectorum, et per consequens, talis transmutatio nulla erit, sed erit forte alteratio similis ei. Et nos respondemus, quod digestio solius auri, & Elixiris est completa, aliorum aũt metallorum incompleta & imperfecta, in diuersis gradibus imperfectionis. Et tamen digestio auri, multũ differt à digestione Elixiris, quoniã digestio auri est sicut compositi, sufficiens sibi soli, propter quod, si cũ aliquo indigestorũ commisceatur in cõflatione, non potest digerere istud, nec de sua digestione sibi conferre, ut transformet illud in aurũ. Sed digestio Elixiris est sicut forma, & nõ solũ sibi soli sufficiens, sed exuberans, ut diffundi, extendi, & multiplicari posſit per alia. Propterea quod si cũ aliquo imperfectorum siue indigestorum cõmisceatur in conflatione, extendit suam digestionem exuberantem, quam habet, usq; ad terminum certi numeri, taliter ut ex ambobus fiat unum compositũ, scilicet Sol, sicut ex materia & forma, in momẽto, sed in sufficienti tempore, quæ iã facta est in ipso Elixir, quando ad ignem decoquebatur, propter quod digestio exuberans siue abundãs ipsius Elixiris, & indigestio imperfectorũ, qua dicuntur semidigesta, habent proportionem ad inuicem in certis numeris & ponderibus, quibus obseruatis, fit aurum purissimũ, in momento. Si enim de imperfectis deberet extrahi forma sua, scilicet auri, egerent digestione omnino in tempore sufficienti. Sed hoc non est sic, imò forma digesta, ut dictum est, associatur materiæ, & fit aurum purissimũ. Et ideo aurum Chymicum non habet plus de potentia transmutandi, nec minus, nisi sicut minerale, cũ sint cõparia.

ETSI

ETSI DE argento uiuo obijciatur, q̃d non sit semidigestũ, ut illa alia, sed omnino crudũ & indigestum, quomodo ergo in tali momento perficietur, ut illa? Respondetur, quod tota perfectio cõsistat in solo Mercurio, quod in determinatione ostendetur expresse. Quare cũ imperfecta perficiũtur, expo liantur à sulphure corrumpente, & solũ argentum uiuũ ipsorum perficitur in Solẽ, in momento. Quare cum eorũ argentũ uiuum sic expoliatũ, sit eiusdẽ naturæ cum ipso, & è cõuerso, & eodem momento recipiant digestionẽ & perfectionem ęqualiter, quia diffunditur & multiplicatur per ipsum Elixir, quod perficit & cõplet ea in eodem momento uel tempore, æqualiter, quod cõfirmatur sic. Cognoscere causam materialẽ propinquã & determinatã, & modũ agendi, qui ex intentione naturæ cõsistit, est totalis causa imitandi naturam, ut faciamus eadẽ mineralia liquabilia penitus, ut natura. Hoc patet per Philosophũ 4. Metheororũ, in exemplo de Atramentis, ubi ostenditur, quòd ars posſit imitari naturam, sic proportionabiliter, quia in Sole & Luna quę sunt liquabilia, sicut & atramenta, & homogenea per totũ, magis cognoscimus materiã determinatam, propinquã, scilicet argentũ uiuum cũ sulphure congelatũ, & modum agendi, qui ex intentione naturæ consistit, quia cum calore suauisſimo digerit, & suauiter decoquit argentum uiuum cum sulphure sibi commixto, et in fine motus separat de commixto sulphur, & hoc propriè in Sole, ergo similiter erit posſibile, ut imitetur naturam in generatione auri & argenti.

NOTA, circa istam literã. Et hoc patet per Philosophum, quod uolentes ostendere per simile, quod ars potest imitari naturã, perficientẽ metalla imperfecta, accipiamus exemplũ Philosophi quarto Metheororum, capitulo de corporibus

mineralibus,de atramentis scilicet. Natura enim in mineris atramentorum generat atramenta, in quibus est uirtus ferri,uel æris innata. Et quandoq; in mineris illorum per modum stillicidij, & gummositatis. Vnde dicit ibidem: Atramenta concœperunt uim mineralem aliquorum corporum liquabilium, & quod cœperit uim ferream,erit rubeum,uel croceum,ut colcotar,quod aũt cœperit uim æream, erit uiride,ut chalcantum,aliquorũ aũt corporum nihil. Quorum ratio siue causa est: Quia aqua mineralis,per mineræ uenas transiẽs dissoluit,digerit, & cõmiscet subtilitatem quandam sulphureitatis eorum,cum substantia subtili lapidis mineræ, cum quadam uirtute salsuginosa & aluminosa,& fluit,ac distillat inde paulatim, & sic inuicem per uirtutem mineræ commiscentur,alterantur,& digeruntur, & seinuicem alterant,& alterantur quousq; ex ipsis per processum temporis, & per coagulationem, generetur atramentum,in termino motus.Quia tota materia compositionis atramentorum,est ex substantia tenuissima sulphuris,salis & lapidum,cum uirtute aliquorum corporum liquabilium,resoluta,ut dicit Philosophus. Et dico quod ibi quoq; est uirtus aluminosa, quæ ex sapore manifeste patet, cum ibi sit ponticitas. Ars autem cum ipsa sit imitatrix naturæ, ut dicitur secundo Physicorum, & quarto Metheororum,sumit sibi substantiam æris, uel ferri, & secundum ingenium artis, ministrat naturæ, quemadmodum expedit, & facit ut sulphureitas aluminosa cum rubedine aut uiriditate florescat. Postea soluit, distillat & congelat, & reiterat pluries ingeniose, sicut uult miscendo cum eis, quæcunq; miscet natura, ita,quod in termino motus,generentur eadem atramenta, omnino in proprietatibus & operationibus &c.sicut in alijs mine-

mineralibus atramentis. Testatur autem nobis Philosophus ibidem, quod dicit, quod ista duo atramenta, scilicet chalcantum & colcotar, per artem fieri, & componi possunt. Similiter experientia Chymistarum demonstrat, hoc per oculum. Similiter scimus quod in partibus Constantinopolis, lapides cuiusdam mineræ calcinant, post in aqua soluunt, & decoquunt in uasis, donec fiat alumen, quod dicitur alumen de Rocha. Si igitur ars, ministrando naturæ generat tales res minerales, quales sola natura in suis mineris, omnino in breui tempore, & in alio loco, & præter determinatum modum quantitatis componentium, & mixtionis & proportionis (quia hæc sunt nota soli naturæ, quæ metitur hæc omnia absq; consideratione artis) & ars cognoscit propinquam materiam, ex qua operatur natura, ac modum agendi, Ergo eodem modo erit posibile arti, sequi naturam in generatione auri & argenti, quia cognoscit materiam propinquam, & modum, secundum quem operatur in ipsis natura. Et si quæratur, quare in Sulphure & Arsenico, cum sint mineralia liquabilia, & cognoscamus materiam, (quia sunt pinguedo terrę,) nō etiam possumus imitari naturam. Respondemus per nunc dicta, quia materiam propinquam & determinatam nō cognoscimus, nec inuenire possumus, nisi in genere, & confuse ualde scilicet, quia sunt pinguedo terræ, & hoc non sufficit arti. Quia non qualiscunq; pinguedo terræ, imo talis pinguedo appropriata, & determinata ad hoc, & non ad aliud. Modum autem agendi satis cognoscimus, & si materiam dictã reperiremus, utiq; sciremus ea formare per artem, ut sequeremur naturam, secundum modum generationis atramentorum sed non metallorum. Est autem potisima causa ut natura non posit gene-

rare aliquid ſimile alteri, non reperire materiam ſimilem illi, ut dicit Philoſophus cœli & mūdi, primo ſcilicet. Quando dicit: Cœlum eſt factum ex tota materia ſua, nec eſt ex ſe aut extra ſe aliquid, & non poteſt fieri cœlum aliud, Modo dico ad propoſitum; quod ſicut carentia materiæ eſt potiſsima cauſa in aliqua re, ut non generetur alia ſibi ſimilis, ita & inuentio materiæ eiuſdem, debet eſſe potiſsima cauſa, ut poſsit generari res alia, ſimilis illi, quia ſicut ſe habet oppoſitum in oppoſito, ita & propoſitum in propoſito, &c. ut probatur ſexto & ſeptimo Aethicorum, Et ſicut eſt in natura, ita erit in arte quoq;, quia igitur ars reperit illam materiam eandem auri & argenti, quæ eſt omnino materia naturæ, ergo ex parte materiæ, ars erit poſsibilis, Similiter etiam ex parte agentis, ut oſtenſum eſt in exemplo atramentorum, quia ars approximat illi materiæ agens naturale, ſed aliter quàm natura, quia, non ut aurum, uel argentum aut aliud metallum generet, ſed formam auri uel argenti tantum, & ſolam formam, ex illa materia elicit, ut in determinatione patebit, Ergo alio agente utitur, ſcilicet igne, cum qua forma omnia metalla imperfecta perficit in momento. Et quia eiuſdem eſt cognoſcere materiam & formam, ut dicitur ſecundo Phyſicorum, & ſeptimo Methaphyſicæ, neq; eſt ſermo propter materiam tantum, ſed propter formam, ut probatur undecimo de animalibus, quia non eſt inuenta materia niſi propter formam, tam in artificialibus, quàm in naturalibus, & ambo propter compoſitum, & compoſitum propter operationem, ut dicitur ſecundo Colliget, Ideo cū ad Chymiſtam pertineat, conſiderare materiam auri, & aliorum metallorum, ad eundem etiam ſpectabit, conſiderare formam ipſorum, & cognoſcere.

Quoniam

Quoniam si non cognosceret formam auri, sicut & materiam, nunquam posset uere sequi naturam, quibus cognitis debitus modus agendi, in debita materia, est totalis causa generandi formam, ex illa materia, Et dicitur solum forma, quæ coniuncta metallis imperfectis, ut materiæ statim sit compositum, id est Sol. Item confirmatur, possibili posito in esse, nullum sequitur impossibile, sed ars Chymiæ est possibilis. Patet sic, quia metalla imperfecta & argentum uiuum sunt in potentia propinqua, ad aurum & argentum, quo ad naturam, & in propinquiori, quo ad artem, Ergo possibile est, & per artem, & per naturam reduci in actum illum, aliter enim esset frustra talis potentia, quod totum declaratur in determinatione, ubi opera naturæ in mineralibus, & eorum ad inuicem transmutationibus occultis, cum instantia ueraciter inquiruntur.

Ratio secunda. Cap. V.

SEcundo sic, & principaliter. Quorumcunq; causæ propinquæ sunt similes, eædem, & motus mixtionis, idem ipsa sunt, uel esse possunt de facili idem, sed metallorum omnium, causæ propinquæ, sunt huiusmodi, ergo ipsa quoque de facili unum & idem sunt, & esse possunt. Maior patet per Philosophum secundo cœli & mundi. Qui dicit: quod causæ similes eædem, sunt similibus causatis, Et in decimo de animalibus dicit. Quæcunque habent easdem causas, habent eadem accidentia. Minor patet, inducendo per omne genus causarum,

causarum, Materia enim ipsorum est una, scilicet quæ dicta est. Similiter agens est unum, scilicet Sulphur accensum calore suaui, mixtum cum argento uiuo. Similiter forma est una, ad quam ordinantur, scilicet ad formam auri. Similiter finis est unus, sicut & forma. Similiter conueniunt, in modo mixtionis, propter quod funduntur ad ignem, & inuicem permiscentur sola liquefactione, & sub mallei percussione, per omnem dimensionem extenduntur, quod est magnum signum & probabile, quod sint similia ad inuicem, ordinata ad unum finem ultimum antedictum, præterquam Marchasita & sibi similia. Et quamuis ex eisdem causis proximis sint, tamen quia modus mixtionis est ualde diuersus, prædictas non sustinent passiones, ideo non uidentur ordinata ad finem.

Ratio tertia. *Cap. VI.*

TErtio principaliter in ijs, quę habent symbolum & conuenientiam in materia, facilis est adinuicem permutacio & transitus, Sed metalla sunt huiusmodi, Ergo facilis illorum est ad inuicem alteratio & transmutatio. Sed conuenientius est, ut imperfectum permutetur in perfectum, quàm perfectum in imperfectum. Per consequens ergo imperfecta possunt perfici in perfecta. Maior patet per Philosophum secundo de Generatione & Corruptione, ubi ostendit quod elementa quæ tantum in una qualitate contrariantur, & in alia conueniunt facilius propter symbolum possunt conuerti, quàm quæ in ambabus contrariantur. Vnde dicit quod facilius est unum, quàm multa transmutare, Et causa transmutationis eorum adinuicem est,

qua ualde modicum distant à prima materia, ex qua generata sunt. Cum materia prima recepit dimensionem & particionem in ipsis quatuor elementis. Vnde propinquitas ultima in materia prima, est maxima causa, ut una res facile in aliam transmutetur. Minor satis patet, quia omnia metalla sunt ex eadem materia prima propinqua, quæ est sulphur & Mercurius, propterea in sola conflatione commiscentur adinuicem. Vnde qualis est proportio & symbolum elementorum adinuicem propter materiam primam, ex qua constant in transmutatione, talis etiam est metallorum. Vnde dicit Hermes Trismegistus, quod generatio & transmutatio, & conuersio metallorum adinuicem, est sicut elementorum. Similiter locorum propinquitas, in quibus sunt, multum confert. Veruntamen hæc similitudo sic differt, quia elementum unum, non est ad aliud ordinatum, sicut imperfectum ad perfectum, quia unumquodque in sua specie, est in ultima dispositione ad perfectionem. Ideo non transmutatur unũ in aliud, ut perficiatur, sed ut perpetuetur in mundo generatio & corruptio debita, cõtinua, & reciproca, & similiter mixtorum. Sed secus est de metallis, quia unicũ saltem inter cætera metalla perfectũ & completũ est, scilicet Sol, ad quem omnia alia ordinantur tanquam ad finem. Si igitur elementa sic adinuicẽ transmutantur, propter conuenientiam & qualitatem, & quia parũ distant à materia prima, ex qua sunt, nec est unũ ad aliud ordinatum sicut imperfectum ad perfectũ, quanto magis hoc erit in metallis, in quibus est quasi totalis cõuenientia. Sic enim conueniunt in materia, quod eorum materia est eadem penitus, & eodẽ modo digesta, siue sic maneant, siue uersus aurũ alterentur, quod non est sic in elementis. Et perpenditur uisu, quia in cõflatione, & ante

& post conflationem, uidentur similia in sua materia, prima & proxima prædicta, ergo ualde conformia & habilia ad ultimam formam. Similiter nullum mixtorum est, quod seruet naturam propriam, suæ materiæ primæ & propinquæ, & accidentia & proprietates ab exordio eius usque ad informationem qualemcunque, nisi metalla sola, quod patet ex liquefactione, in elementis aũt non sic. Magna enim differentia eorum apparet, in uisu, auditu, tactu, gustu & odoratu, neque ante ipsorum mixtionem adinuicem, nec in mixtione, neque post, neque ante transmutationem ipsorum, habent similitudinem illam, quam metalla habent, nec illo modo miscentur adinuicem. Ideo non debent habere tam bonam transmutationem adinuicem sicut metalla, eorum enim transmutatio est, sicut de contrario in contrarium, quia dominatum transfertur in dominans. Metallorum autem, est sicut imperfecti uersus perfectum. Quia ergo ars Chymiæ habet symbolũ & conuenientiam in metallis, & uidit ea transmutari à natura in suis mineris, uersus Solem & fieri aurum, ideo ars ingeniata est sequi naturã, modo mirabili extra mineras, ut ea transmutet in tale aurum, sicut facit natura sola. Causa autem forte quare ars imitetur naturam, & è conuerso, uidetur esse talis, quod sicut natura est opus intelligentiæ, & ab ea dirigitur, sicut à cognoscente. Sic & ars est opus intellectus, & ab eo dirigitur, tanquam à cognoscente, quare sic agit propter finem. Sicut ergo intellectus imitatur intelligẽtiam, & è conuerso, sic ars imitatur naturam, & è conuerso. Ita quod ab arte refulget opus intelligentiæ, & influxus, & è conuerso, in intelligentia enim & mente diuina, sunt ideæ omnium naturalium: In intellectu autem Ideæ omnium artificialium. Quare cum intellectus recipiat ab intelligentia de

Ideis

Ideis naturalium, & intelligentia ab intellectu de Ideis artificialium, secundum quod est possibile, sequitur quod ars imitatur naturam & è conuerso. Et quod ars aliqua perficiat, quæ non potest natura, & è conuerso iuuando se.

Ratio quarta. *Cap. VII.*

QVarto arguitur sic: Quicquid est in medio motus ad aliquam formam suscipiendam, potest duci ad terminum motus, nisi impediatur, sed metalla imperfecta sunt huiusmodi, aurum autem in termino motus, ergo possunt duci ad terminum. Maior est nota, quia si existens in principio motus, est in potentia ad terminum motus, multo magis quando est in medio motus. Cum medium magis propinquius extremis, quàm extremum extremo. Vnde Philosophus secundo & octauo Methaphysicæ dicit: Quod aliquid fit ex aliquo dupliciter, aut tanquam ex medio & imperfecto, fit extremum & perfectum, ut ex puero uir, aut ex uno extremo ad extremum, ut ex aqua aer, sicut probabitur infra &c. Vbi ostendetur argentum uiuum, & sulphur esse principia metallorum omnium, & existere in principio motus, aurum autem in termino motus, & reliqua metalla in medio, imò iuxta finem motus.

Ratio quinta. *Cap. VIII.*

QVinto & ultimo arguitur sic: Quicquid uel omne quod est in potentia ordinaria ad aliquam formam

ſicut ad finem,poteſt duci ad finem illum.Sed metalla imper-
fecta ſic ſunt,in comparatione ad aurum , ergo corpora im-
perfecta poſſunt duci ad iſtum finem,nempe perfectionem,
id eſt in Solem.Maior eſt nota,quia ad hoc ut aliqua res re-
cipiat formam , oportet quod ſit in potentia ordinaria ad
eam . Natura enim deducit res de potentia ad actum ſecun-
dum ordinem, ſic & ars. Minor probabitur in determina-
tione de generatione metallorum.

Quædam exempla quoq; artem hanc eſſe poßibilem probantia.

CAPVT IX.

VIdemus etenim in æſtate, ex puluere pluuia aſperſo, per putrefactionem generari ranas,ex illa ultima di-
ſpoſitione materiæ, ad hoc propinqua . Et refert Auicenna,
quòd uitulus in nubibus generatus eſt cum tonitruis, &
cecidit cum pluuia ſemiuiuus . Et dicit, quòd natura in tali-
bus faciat ſubitas generationes . Cum miniſtratione etiam
ars facit ſimilia naturalibus, ut ex Baſiliſco contrito & de-
bite miniſtrato & putrefacto, ſcorpiones generantur . Et ex
elixatura anatis ad ſerenum cooperta,bufones.Item ex ui-
tulo ſtrangulato , apes , cum putreſcit humiditas illa , per
ebullicionem à calore extraneo , et ueſpæ ex carne aſini,
et ſcarabei ex carnibus equi , et locuſtæ de carnibus muli.
Videmus item quod natura tranſmutat calamentum in
mentam , Triticum in Siliginem , uel Siliginem in Tri-
ticum . Et linum in ſcilem , id eſt lolium. Hoc idem in mi-
neralibus quoq; patet, ſicut iam in dictis uegetabilibus,
quamuis non in omnibus . Generat enim natura quan-
doq; in nubibus ſagittas lapideas, & ferreas, cum tonitruis
horri-

horribilibus. Et in Persia cadũt cũ corruscationibus corpora ærea, ut æs ustum & similia, & non possunt liquefieri per ignem, sed euaporãt in fumum uiriditati attinentem, donec residuum sit cinis. Cecidit quoq; apud Vergen frustum ferri, centum & quinquaginta atronarum pondus habens, quod præ duritie sua fere erat infrangibile. Missa est tamen pars eius Regi Corasceni, qui cum præcepisset enses inde fieri, erat infabricabile. Et cum cæcidit hæc massa, resilijt aliquotiens à terra ut pila, eratq; composita ex minimis frusticulis cohærentibus ad inuicem, ad quantitam millij granorum. Simile huic euenit apud Thepaltrem. Nota sunt etiam certa loca, super quæ aquæ effusæ, uertuntur in lapides diuersorum colorum. RATIO. Quia in terra uel loco illo super quem funduntur est uis mineralis, congelans aquas. NOTA ex concussione quorundam lapidum cum chalibe generamus subito ex aere ignem, et ex aquæ ebullicione aerem, et ex condensatione aeris, aquam, et ex reseruatione aquæ terram, & connectuntur, & sunt eadem penitus, cum naturalibus suis solis.

Aliud exemplum artem esse ueram atq; possibilem.
Cap. X.

FVmus enim resolutus à lignis cũ comburuntur, est tanquam spiritus, qui resoluitur ad aerem cum toto corpore suo, sed si inueniat corpus aliquod solidum, cui appodietur, retinetur ibi à suo corpore occulto, super illud corpus aliud, & induratur & figitur, & fit fuligo. Ita quod spiritus dum fugit ignem, conuertit corpus ad suam naturam. Et corpus cum permanet, cõuertit spiritum ad suam naturam.

Et hoc idem simile patet in generatione tartari boni uini. NOTA. Omnium inanimatorum, quæ generantur æqualiter, est uapor siccus uel humidus, uel uterq;, ut patet primo Metheororum, & quarto. Omnis autem uapor est de genere spirituũ, id est, uolantiũ, Ex uaporibus aũt siccis generantur res siccæ, & ex humidis humidæ, sed ex eorum digestione, commixtione, & proportione existente diuersa in habitudinibus & mensuris eorum, accidit diuersitas generatorum omnium, secundum exigentiam naturæ, cuiuslibet speciei. Et sicut isti uapores tam sicci quàm humidi habent in actu semper naturam ascendendi & uolandi, Sic habent in potentia naturam standi & permanendi. Item, tutia alterat æs, in colorem auri, auripigmentum uero siue arsenicum alterat illud in albedinem argenti, quamuis comburat, et fumus Saturni congelat Mercurium, quia sunt res sui generis. De extraneis autem dicimus, quod cortex mali granati conuertit ferrum in Chalibem, & fumus capillorum citrinat argentum, &c.

Ratio quare natura generat corpora metallorum ex Sulphure & Mercurio.

CAP. XI.

NAtura generat corpora metallorum ex argento uiuo & sulphure, propterea quod in illis spiritibus sunt omnia corpora in potentia, potuit natura illam potentiam ducere ad actum, quia natura secundum ordinem præponit potentias actibus. Et sic ex potentia non fixi facit fixum & è conuerso. Et ex mundo facit mundum, ex immundo immundum, & ex immundo extrahit mundum, & ipsum retinet.

retinet. Ars ergo post contemplationem istorum omnium, sequitur naturam, et recipit spiritus naturæ immundos, & ipsos sublimando mundat, sicut natura. Et tunc uolendo fugere ab igne, ars ministrat naturæ, & natura conuertit ea in corpora mūda, fixa, & sic de cœtero natura corporum dominabitur naturæ spirituum in ęternum. NOTA. In spiritibus sunt corpora in potentia, in corporibus sunt spiritus in potentia. Et cum uires spirituum dominantur, trahunt secum corpora ad uolatum. Et cum uires corporum dominantur, retinent secum spiritus, & figuntur cum eis, propter quod, quæcunq; resoluuntur à corporibus metallorum in fumum, apud ignem, non habent naturam corporum, quorum sunt, sed magis spirituum. Et quilibet spiritus qui ingreditur corpora, acquisiuit similem naturam corporum, ideo in mineris metallorum reperiuntur sui spiritus, sed non è conuerso, quia in posteriori includitur prius, sed non è conuerso, &c.

Sequitur nunc de principijs metallorum. Cap. XII.

SVmma cum diligentia studiosis de principijs metallorum inquirendum est, qui enim principia ignorat finem assequi non poterit, quia ueram radicem supra quam suam intentionem fundare debeat, non habet. Diligenter itaque obseruandum est, quod quæcunque à frigido congelantur, abundant in sua materia prima humido aqueo, ut dicitur quarto Metheororum, talia autem sunt metalla, & his similia. Et quia humidum aqueum facile euaporat ab igne, metalla autem suas conseruant humiditates, etiam in magnis ignibus, Ideo humiditates metallorum non solum

solum aqua, sed ut est passa cum alijs elementis. Vt autē natura aquæ in metallis permaneat cum durabilitate, ideo oportet quôd sit uiscosa & unctuosa, ut possit permanere, ut patet humido nutritiuo animali. Et quia humidum uiscosum uidemus in pluribus inflammabile facile, & ab igne non separari donec finiatur. Tale autem humidum non reperitur in metallis, ergo non uidetur solum humidum uiscosum & unctuosum, metallorum esse materiam, sed ut est passum à terreis partibus. Vnde notandum quod in metallis est duplex humiditas, una uiscosa extrinseca, quæ non uenit ad unionem totalem cum terrestribus partibus rei, et hæc est inflammabilis & sulphurea, Et alia est uiscosa humiditas intrinseca, & hæc una & similis est per totum cum partibus terreis tenuissimis, adæquata & commixta, mixtione fortitaliter, ut minimum unius sit idem factum cum minimo alterius, & unius plurimum, cum plurimo alterius, & facta sunt ex propria digestione argenti uiui. Ideo pars humida non derelinquit partem siccam in igne, nec è conuerso, sed cum tota sui substantia recedit ab igne, aut cum tota permanet, & hoc facit quod pars humida non adhæret tangenti, quia partes terreæ ipsam ligant, & tēperant æqualiter. Pars etiam sicca non terminatur termino proprio, quia partes aqueæ ipsam soluunt, & æqualiter contemperant, ideo humidum & siccum, æquantur in ipso. Est ergo materia metallorum omnium prima, humidum uiscosum incombustibile, subtile, incorporatum terrestri subtili, æqualiter & fortiter, commixtum per minima in cauernis terræ. Materia autem proxima eorum, est argentum uiuum generatum ex illorum forti commixtione. Sed cum materia non producat seipsam in esse, ideo sagax & sapientissima natura

adiunxit

adiunxit sibi agens proprium, scilicet sulphur, ut ipsam digerendo & coquendo in metalli formam conuertat. Est enim sulphur quædam pinguedo terræ in mineris proprijs generata, per temperatam decoctionem, & inspissata, & indurata. Et habet sulphur se ad Mercurium, tanquam masculus ad fœminam, & sicut proprium agens ad propriam materiam, & quoddam sulphur est liquabile de sui natura, & quoddam non. Ideo quæcunque uoluit facere natura liquabilia, adiunxit eis sulphur liquabile, ut de potentia materiæ extrahat similem liquefactionem, & hæc fuit causa liquefactionis metallorum ad ignem & coagulationis extra ignem, quamuis argentum uiuum de sui natura sit semper liquidum. Quæcunque autem noluit natura non liquabilia fieri, adiunxit sulphur non liquabile, tamen coagulatum, ut in Marchasita, Magnesia & Anthimonio. Et sulphur in Marchasita nõ est fixum & combustibile, in Anthimonio autem, fixũ & incombustibile. Est ergo materia prima propinqua, proxima & uniuoca metallorum omnium, argentum uiuum, non in natura sua, sed ut est ab agente proprio, scilicet sulphure liquabili, in cauernis terræ mineralibus coagulatum, & cum ipso sulphure commixtum, ergo materia hæc aut omnino consimilis sibi, erit materia argenti uiui, si generatio debeat fieri ex conuenienti & proximo, Oportet ergo necessario dicere, illa duo simul commixta, esse principia tam artis quàm naturæ, quia igitur sic conueniunt in materia proxima, & agente, & modo mixtionis. Ideo habent inter cætera mixta circularem generationem adinuicem.

Opinio Petri Boni, de principijs metallorum.

CAP. XIII.

D Iam

IAm dictus author dicit, quod metalla fiant siue generentur ex fumis subtilissimis resolutis ab argento uiuo, cum substantia sulphuris, à calore humido, & sicco temperato, in cauernis terræ profundissimis, habentibus humiditatem, quæ super omnes est humiditates, quæ à siccitate terrea tenuissima occulta, temperatur & inspissatur, Calor autem temperatus, illos fumos conuoluendo resoluens, sublimans & inspissans, usque ad locum alicuius refrigerij illam humiditatem conseruat, digerit, subtiliat, & inspissat, quæ est causa metallicæ fusionis, & sic in fine conuertitur in metallum.

Raimundi sententia de principijs metallorum.

Cap. XIIII.

RAdij corporum cœlestium, in nullo elemento cum tanta uirtute uniuntur & potentia, tanquam in terra. Nam terra firmum & proprium receptaculum est uirtutum cœlestium, ueluti ipsius Sphæræ centrum, hac de causa, ipsa mirabilia producit uegetabilia, animalia & mineralia. Tamen si terra in sua duricie permaneret, nullam rem posset producere, cum non sit obediens motui. Cum uero continuo motu cœlesti, uirtute solari, & aliorum planetarum ipsa terra cõtinue coquatur, ex illa fit subtilior, & alteratur, partesque subtiliores uirtute caloris Solis eleuantur in fumum. Propterea uirtutes cœlestes continuo de cœlo descendentes, & penetrantes in ipsam terram, & ibi inuenientes materiam simplicem, subtilissimam, & spiritualem, incorrupti-

ruptibilem, & perspicuam, ex naturæ sagacitate præparatam & aptam ut recipiat uirtutes cœlestes, propter similitudinem quandam, quam inter se habent, uim præstantissimam infundunt in ipsum duplicem fumum metallicum radicalem. Et cum hæc materia spiritualis longissimo tempore in cœlesti obedientia & spiritualitate iam permansit, in substantia principiorum metallorum, uniformis est, & homogenea, quæ tempore longissimo in mille annis induratur, tandem, ut inquit Geber libro primo capite septimo, propterea cœlum infundit illis plures mirabiles uirtutes, quàm in cæteris rebus omnibus. Nam in his plus cæteris laborauit. Et hæc est causa tantæ uirtutis metallorum, ut omnia elementata facile superent.

Qualem habeant humiditatem elementa metallorum:

Cap. XV.

ELementa metallorum habent humiditatem permanentem, sicut metalla, solummodo quod adhuc est indigesta, aut alio modo terminata, per suas formas, ut Marchasita, Antimonium & alia &c. Quoniam diuersitas formarum facit illam eandem humiditatem diuersimode terminantem, & diuersimode passibilem. Et hoc accidit propter diuersam proportionem mixtionis suorum elementorum propinquorum, componentium, prout reguntur à cœlestibus, quamuis elementa sint eadem.

Cur lapidi nigro indici confricando metalla abradendo adhæreant. Cap. XVI.

EA de causa adhærent, quia singularis & specialis humiditas sic digesta, est causa malleationis & liquefactionis, ergo propter dictam humiditatem adhærent.

Quare lapides supernatent metallis liquefactis.

Cap. XVII.

QVia metalla liquefacta sunt de natura argenti uiui. Nam sicut argento uiuo supernatant, sic etiam metallis supernatant, quia sunt ex argento uiuo.

Quare in liquefactione metalla separantur, si expandantur uel fundantur, & quare in malleatione extendantur partes. *Cap.* XVIII.

REspondetur ad primum, quia metallo liquefacto, non tam multa inest uiscositas, sicut in frigidato, aut ignito solum, ideo infrigidatum aut ignitum solum, propter maiorem uiscositatem malleatione extenditur.

Quot nam sint spiritus Chymiæ? *Cap.* XIX.

SEptem sunt spiritus Chymiæ, quatuor principales, scilicet: argentum uiuum, & sulphur, ex quibus metalla omnia originem traxerunt. Item, auripigmentum, quod est de natura sulphuris, & salammoniacum, quod est de natura salis, quod sicut sapo metallorum à quibusdam dicitur, quamuis non sit de substantia eorum, tres uero secundarij & compositi, scilicet: Marchasita, Magnesia & Tutia, sed Magnesia & Marchasita, sunt spiritus à natura commixti, de sulphure & Mercurio, Tutia uero est fumus metallorum

subti-

ſubtilis, reſolutus ab eis, quæ omnia ſunt aut principia metallorum, aut ex eiſdem principijs, præterq; ſalammoniacum. Ex dictis ergo nihil aliud uolumus, niſi quod ſola metalla & ſpiritus operi ſint neceſſaria, quia unum in aliud ingreditur, & ſe inuicem combibunt & miſcentur, in conflatione, Et ſunt ad inuicem ſicut principia & principiata, quod ipſa ſola in materia et natura propinquitatē habere uidētur, Ergo aut ex metallis ipſis, aut ſpiritibus hunc lapidem colligere neceſſe eſt, aut per eorum mixtionem, aut omnium aut plurium, uel uno ſolo. Inter ſpiritus autem dictos Sulphur & Mercurius ſunt ſicut elementa, & primum tenent principatum.

Principia artis quottuplicia? Cap. XX.

PRincipia huius artis ſunt duplitia, ſcilicet naturalia & artificialia, Naturalia ſunt quatuor elementorum cauſæ metallorum, cum ſuis annexis, Et hæc principia recipit, credita, à ſcientia ſibi ſuperiori, ſed exquiſite diſcutit ea ut poſsit ſequi naturam. Principiorum uero artificialium, quædam dicuntur modi operationum, quos artifex applicat ad magiſterium, qui ſunt octo ſecundum Gebrum, Sublimatio, Deſcenſio, Diſtillatio, Calcinatio, Solutio, Coagulatio, Fixio & Ceracio, abſq; ſuis annexis. Quædam ſunt non proprie principia, ſicut prabationes & iudicia, oſtendentia ueritatem uel falſitatem dictorum principiorum, eiuſq; quod operatum eſt ex eis, utrum ſit idem aurum penitus, cum minerali, uel non. Et ſunt nouem, Cineritium, Cementū, Ignitio, Fuſio, Expoſitio ſup uapores acutos, Extinctio,

Commixtio rei adurentis, Reductio post calcinationem, & susceptio argenti uiui, facilis, & difficilis.

Quæ sit materia lapidis cum probationibus.

CAP. XXI.

EX unica re fit lapis, nec potest in aliqua alia re de mundo hic propinqua potentia inueniri, Et est illud quod magis simile est auro, Est autem illud ex quo generatum est, & est argentum uiuum solum purum, sine alicuius rei commixtione, sicut porro probabitur. Quia igitur, non nisi unica res reperitur, quæ sit origo & materia metallorum, & de ipsorum substantia, ideo etiam una sola materia erit Chymiæ, quia materia Chymiæ est solum illud, quod est materia naturæ, aliter enim ars non poterit imitari naturam, & ipsa est materia metallorum, Eget tamen hæc materia cum sit perfecta, mixtione cum eis, per liquefactionem, ut unum fiant omnino, absque diuersitate, sicut est substantia auri, Similiter cum forma substantialis cuiuscunque rei, extrahatur de potentia suæ materiæ propinquæ, & non de extranea, tunc cum sit tantum materia una propinqua auri, ex qua ipsum facit natura, Ergo & ars similiter illam unicam materiam tantum recipiet necessario, si ueram formam auri generare debeat.

LILIVM DICIT, una uia, una re, una dispositione, uno actu, uno uase, totum magisterium terminatur, Et Alphidius, Non indiges nisi una re, scilicet aqua, Et una actione, scilicet coquere, Et non est nisi unum uas ad album, & ad rubeum simul faciendum.

Instantia

Instantia Rhasis contra iam dictam Vnitatem.
CAP. XXII.

EGo autem nouissime dico, quod unumquodque prædictorum corporum, & spirituum, si præparatione perfecta fuerit preparatum, album uel rubeum, est Elixir per se solum &c. Ergo plures uiæ perfectionis, & plures materiæ possunt esse in hac arte.

Solutio Instantiæ. Cap. XXIII.

DIcimus quod in subiecto realiter loquendo, spiritus & corpora sunt idem, sed solum secundum rationem differunt, ideo siue corpus siue spiritus sit, quod perfecte præparatur, est Elixir per se solum. Nam sicut patet de nutrimento & de nutribili, quod una sola uia est, & una ultima dispositio, ut nutribile nutriat, sed multę dispositiones præcedentes hanc uiæ sunt, ex diuersitate alterationum præcedentium, & quasi infinitæ ad illam, Quæ tamen etsi multæ & diuersæ sunt adinuicem, nunquam tamen secundum ordinem propter finem adinuicem uariantur, et ideo una sola uia à principio usque ad finem est per se, Sic: quia multæ dispositiones præcedentes sunt necessariæ ad hanc ultimam, ideo dici possunt, quòd sint multæ uiæ, id est dispositiones eiusmodi, sed sunt habentes ordinem & colligantiam naturalem ad illam unam finalem intentionem omnium Philosophorum. Item Rhasis libro triginta uerborum, uerbo uigesimo primo, Regimen enim est unum, operatrix una, operatio uero & transmutatio non sunt unum.

Quod

Quod ex germinatione & impraegnatione, & lapidis ortu &c. antiqui Philosophi diem iuditij extremi, item partum Christi, & Mariae conceptionem coniecturarunt.

CAP. XXIIII.

RHasis in quadam Epistola sic scribit: Cum hoc autem, scilicet lapide rubeo, magnificauerunt se Philosophi, super omnes alios, & uaticinati sunt futura, specialiter uero & non solum generaliter prophetauerunt, ita, quod cognouerunt diem iudicij, & consummationis seculi huius debere uenire, & mortuorum resurrectionem in ipsa, in qua unaquæque anima, suo primo corpori coniungetur, & de cœtero ab inuicem non separabuntur in perpetuum, Et erit tunc omne corpus glorificatum, & ad incorruptibilitatem translatum, & ad luciditatem, & subtilitatem ferè incredibilem, Et penetrabit omne solidum, quia tunc eius natura erit sicut natura spiritus, & è conuerso. Reliqua uero damnanda resurgent, ut illa, quo ad perpetuitatem & incorruptibilitatem, passibilia tamen erunt, & cum tenebris & obscuritatibus. Vnde Bonellus in turba Philosophorum, Omnia uiuunt & moriuntur nutu Dei, & est res quædam in natura, cui cum humiditas accidit, & cum ea permittitur per noctes, tunc similis uidetur mortuo. Et tum res illa igne indiget, quousque illius corporis spiritus extrahatur, & per noctes dimittatur, ut homo in cumulo suo, ut puluis fiat, His peractis Deus reddet ei animam suam, & spiritum, ac infirmitate ablata, confortatur illa res, & post coruscationem emendatur, quemadmodum homo post resurrectionem fortior fit, & iunior quàm fuerat in hoc mundo. Et dicit Miluescindus; Creator animarum cum has morficat creaturas, post-

quam

quam sequestrat animas à corporibus, reddet eis animas suas, ut iudicet, & remuneret similiter, &c. Et Hermes in primo: Porrò nisi diem iudicij timerem, huius scientiæ nihil patefacerem, nec ulli prophetarem &c. Quia igitur uiderunt diem nouissimam in hac arte, scilicet germinationem & natiuitatem huius lapidis miraculosam potius, quàm rationalem, quia fit coniunctio animæ beatificandæ, cum suo primo corpore mediante spiritu, & eorum perduratio in æternum gloriosa. Ideo ex hoc iudicauerunt diem Iudicij Domini nouissimam huius sæculi debere uenire, quæ erit supra naturam, & miraculosa. Ideo Pythagoras in turba Philosophorum dicit: Intelligite omnes sapientes, quòd in omni quod Deus creauit, est una essentia, quæ non moritur, nisi in die Iudicij. Similiter per hanc artem cognouerunt, & iudicauerunt Philosophi antiqui huius artis, Virginem debere concipere, & parere, quia apud eos hic lapis concipit, & impraegnatur à seipso, & parit seipsum, unde est conceptio similis conceptioni uirginis, quæ absq; uiro concepit, quod esse non potest nisi miraculosè, scilicet per diuinam gratiam. Et in partu huius lapidis, fit partus similis partui uirginis, quia post partum permanet uirgo, ut prius ante cõceptum, quod etiam esse non potest, nisi diuino miraculo mediante. Quia igitur uiderunt conceptionem, imprægnationem, & partum & nutritionem huius lapidis ita miraculosam, iudicauerunt uirginem debere concipere absq; uiro, & imprægnari, & parere miraculosè, & manere uirginem ut prius. Vnde Alphidius: Hic lapis in uijs proiectus est, in nubibus exaltatus, in aëre habitat, in flumine pascitur, & in cacuminibus montium quiescit, cuius mater uirgo est, & cuius pater fœminam nescit. Adhuc etiam nouerunt, quod Deus homo debebat

E fieri,

fieri, quia in die nouissima huius lapidis in qua est operis complementũ, generans & generatũ fiunt omnino unũ, & senex & puer, & pater & filius, fiunt omnino unum, ita quod omnia uetera fiunt noua. Vnde, quia hanc rem ita miraculose uiderunt, iudicauerunt etiam creatorem cum creatura fieri debere unum. Quia igitur creatori nulla creatura uniri potest, nisi homo solus, cum sit ad imaginem & similitudinem creatoris factus, ratione animæ intellectiuæ, iudicauerunt Deum cum homine debere fieri unum, & hoc factum fuit in Christo Iesu, & uirgine matre eius. Vnde Balgus in turba Philosophorum dicit: O quàm miræ naturæ, quæ animam senis in iuuenile corpus transformauerunt, ac pater filius factus est, Benedictus ergo sit creator optimus &c. Similiter Plato scribens de Chymicis, scripsit Euangelium, quod post eum per tempora longa ualde scripsit Sanctus Ioannes Euangelista, & compleuit. Scripsit enim Plato: In principio erat uerbum, continue usq; ad locum illum &c. Fuit homo missus à Deo &c. Sicut recitat Sanctus Augustinus in octauo confessionum. Et ostendit Deus hoc exemplum miraculosum Philosophis in hoc lapide, ut ostenderet potentiam suam, ut ipsi cognoscerent eum in operibus, quæ supra naturam consistunt, quæ noster intellectus non potest compræhendere. Vnde Morienes: Scias quod hoc magisterium non est nisi secretum secretorum Dei altissimi, & magni. Ipse enim hoc magisterium suis Prophetis uel Philosophis commendauit, quorum animas in paradiso collocauit.

Quod

Quod diuina potentia se secrete immisceat operationibus naturalibus, & regat naturam supra conditionem ipsius naturæ quasimodo supra naturam.

Cap. XXV.

VIdemus namq; manifeste in partu, quòd matrix aperitur, tali apertione cuius similem efficere non ualet in suo simili. Et necessarium est, quod separentur iuncturæ quædam, & sustenentur adiutorio Dei excelsi, post illud redeunt in proximo ad continuationem naturalem. Et natura non separat aliquas iuncturas corporis, propter necessitatem, nisi hanc, scilicet fœmorum, tempore partus, neq; aliquas separatas restaurare potest, nisi hanc solam cum tempore, & non opus est aliquo Chyrurgo. Igitur expresse uidetur, quod talis operatio sit supra naturam, & quod diuina potentia se immisceat secrete. Sic eodem modo in arte Chymiæ dicimus: Quod nec ex parte naturæ tantum, nec artis ministrantis, & iuuantis naturam, uidetur talis compositio lapidis in fine operis fieri posse, ut supra ignem perpetuo perseueret, sed potius in diuina potentia uidetur reseruari hoc mediãte cognitione artificis. Ergo quàm difficile, quàm arduum, quàm occultum, quàm mirabile est, existimare licet hunc punctum artificem posse attingere.

Similitudo indicans quid nam lapidi deficiat post ortum eius.

CAP. XXVI.

FOEtus à principio cõceptionis in utero perficitur continuo usq; ad tempus partus. Et tempore natiuitatis

perfectus est de se, & si tunc non egreditur, suffocatur & moritur, quia tunc eget auxilio expulsiuæ uirtutis, & cum ortus est, tunc eget ultimo perfici, quia motus ambulationis deficit ei, cognitio loquelæ, & fortitudo, ut dicit Miluescindus. Eodem modo quando hic lapis oritur, est perfectus per se, sed deficit ei tinctura & fixio stans, & coniunctio matrimonialis, ideo eget auxilio artificis extrahentis tunc statim ipsum & complentis, ut dictum est. Et ideo dixit Hermes: Intelligite filij sapientum, quod hic lapis præciosissimus est, & clamat: protege me, & ego protegam te. Largire mihi ius meum, ut te adiuuem, Sol enim meus & radij intimi mei sunt in me.

Nota breuiter quibus rebus hæc ars aßimiletur.
Cap. XXVII.

OMnibus assimilatur, de quibus loqui licet, & de quibus non loqui licet, & omnibus quæ sunt, & quæ non sunt, ergo nulla res excipitur, quæ huic arti non assimiletur.

Quod ars non sola doctrina inueniatur.
Cap. XXVIII.

GEber capitulo ultimo summæ perfectionis sic dicit: Non desperet igitur doctrinę filius, quia si illam quæret, inueniet, non doctrinæ, sed proprij motus indagatione naturæ, Quoniam qui per se, & suæ bonitatis industria scientiam quæret, illam inueniet, qui uero per librorum insequutionem quæsierit, tardissime inueniet hanc

artem

artem præciosissimam. Quoniam nobis solis artem per nos solos inuestigatam tradidimus, & non alijs, uerissimam tamen, & omnino certam, quia ars iuuatur ingenio, & ingenium ab arte similiter.

Quid nam hæc ars inuestigat antequam aliquid incipiat.
CAP. XXIX.

ARs prius inuestigat omnem operationem naturæ, & omnem modum operationis, & materiam determinatam, & reliqua, sine quorum inuestigatione, ars nunquam posset naturam sequi. Et quia natura in suis mineris transformat omnia imperfecta metalla in solem, paulatim digerendo, & expoliando ipsa in fine, à sulphure corrumpente, quod ipsa decoxit, Et in tali expoliatione obseruat natura quantitates & proportiones in mensuris elementorum determinatas, ad generationem auri, quæ quantitates & proportiones mixtionis, sunt notæ soli naturæ. Ideo ars hæc subtilissime inuestigans, expoliat ipsa similiter, ut natura, sed cum alio calore, scilicet liquefaciente, & in breui tempore ualde, scilicet in momento, & alio loco & tempore, quia quocunque loco, quocunque tempore, & quocunque calore expoliantur imperfecta metalla omnia à Sulphure corrumpente, statim perficiuntur in aurum. Et in hac expoliatione, natura æquat quantitates elementorum, & eorum proportiones in mixtione, & mixto, uoluntate diuina. Quamuis hæc ignoremus, quia nō est necesse nos scire, nec scire possumus, Et sic ars sequitur naturam in principijs.

Quod natura sit ministra artis. *Cap.* XXX.

ARs præparat naturæ materiam, non ultima præparatione, & ipsi porrigit, Et natura præparat, & disponit sibi ipsi usque ad ultimum, cum auxilio artis, & post introducit formam, ut patet in generatione usifur, Cærusæ, &c. ac omnium compositorum, Formæ enim istorum sunt naturales ministrante arte, quia in talibus natura sibi non potest præparare materiam, nec componere, sed ars præparat naturę materiam, et natura disponit, & introducit formam, Quod enim præparat alteri materiam ad formam, nõ dat formam, quod autem sibi præparet, & disponat sic, est manifestum ex illo, quia idem agens disponit ad formam, & dat formam.

Quod consideratio corporum cœlestium non sit obseruanda.

CAP. XXXI.

Illiũ sic ponit, opus hoc non causatur à motu superiorũ, quia omni tempore fieri potest. Et Rhasis capitulo septuagesimo in libro reprehensionis: Tempus nõ operatur in hoc aliquid, quia si tempus operaretur in eo, esset uile apud gentes. Si igitur in hoc magisterio omnia contingentia suo tempore recte concurrant, introducetur forma sua sub debito situ & aspectu stellarum, tempore præfinito in materia, absque consideratione in hoc aliqua. Vnde dixit Plato, Quod secundum meritum materiæ infunduntur uirtutes cœlestes, quæ res naturæ operantur.

Quod lapides præciosi artificialiter fieri non possunt.

CAP. XXXII.

Quia

QVia principia falsa sunt, ergo non naturalia. Deficiunt enim ibi illa duo principia naturæ, scilicet materia determinata propinqua, & præcisus modus agendi, qui ex intentione naturæ consistit in illa materia, Vnde non habitis principijs naturæ, impossibile est artem sequi naturam, Ergo accipientes principia deuia ab intentione principiorum naturæ, faciunt alia opera diuersa Sophistica, quia quorum principia sunt diuersa, etiam opera erunt diuersa.

Quod metalla imperfecta non possint alterari.

CAP. XXXIII.

OMnis materia quæ habet esse in aliquo rerum naturalium permanente, est completa per suam formam substantialem, sed materia stanni, plumbi, æris, ferri, habet esse in eis eorum esse sic permanente, sicut materia auri & argenti, Ergo materia completa est per suam formam substantialem in eis, sicut materia auri & argenti. Maior est nota, quia ea quæ sunt in motu ad aliquam formam, non permanent in natura, nisi quando sunt in fine motus, in quo acquirunt formam suam substantialem completiuam, potius enim corrumpuntur, & cito, quàm quod permaneant. Propterea non permanent abortiui fœtus, quia nondum habent formam completiuam, aut quia organorum, non habent complementum deseruientium suæ formæ. Minor nota est ad sensum. Videmus enim stannum & Saturnum & reliqua per se habere permanentiam in natura, sicut aurum & argentum per se, Hoc autem non esset, nisi essent completa

per

per suam formam substantialem, falsum ergo dicunt, hæc metalla esse perfecta, alia imperfecta, Et ex hoc, hæc esse conuertibilia in illa, & ordinata ad illa, non ergo magis erit ordinatum, nec magis conuertibile stannum in aurum, quàm è conuerso.

Solutio prædictorum, quod metallorum imperfectorum transmutatio sit impoßibilis.

CAP. XXXIIII.

RESpondetur. Quod res quæ permanent in natura sic se habent, sicut dicunt. Sed animaduertendum est, quod quædam sunt res, quæ permanent in natura in sua specie, quæ perficiuntur, quoquomodo per suam formam substantialem, ad quam est quidam terminus motus, sed quædam ordinantur ad aliam formam substantialem ultimam, omnino complentem & perficientem, post illam, ideo dicentur esse imperfecta, donec sub illa forma prima permaneant, in relatione ad ultimam. Si autem non referantur ad hanc ultimam formam, sed solum in se considerentur, ipsa sunt perfecta in sua specie per illam suam formam substantialem, secundum quod exigit illa species. Ideo uidemus in generatione ouorum, esse quendam terminum motus, in acquisitione suæ formæ substantialis, qua sic permanent. Sed quia sunt ordinata à natura, non sic permanere, sub illa forma, sed ad generationem auis propriè ordinatam, ubi fit acquisitio formæ substantialis ultimæ, imo dicentur esse imperfecta sub forma oui, quamuis permanent, perfecta autem cum fit perfecta generatio auis, cum ibi sit finis ultimus ad quem erat dispositum. Imperfecta ergo dicuntur corpora respectu finis illius,

illius, ad quem ultimo ordinantur. Ex quibus nunc patet, quomodo Saturnus, Iuppiter, Mars, & Venus sunt perfecta in sua specie, & quomodo non, & quomodo nobilia & ignobilia, Sed aliæ res, quæ non ordinantur à natura ad formam aliam substantialem, sicut Triticum, Marchasita, equus &c. dicuntur habere formam substantialem completiuam absolute, non referendo ad aliud nobile uel ignobile. NOTA. Qui ignorat formam in sua materia, ignorat quoq; possibilitatem transmutationis eius, ergo & iudicium, quamuis iudicium sumatur ab accidentibus & proprietatibus post ipsorũ cognitionem. Porro uero diligenter notandum, quod omne transmutandum de specie in speciem, debeat reduci in materiam primam, id est nudam, à forma prima, ut illa, ad quam disposita erat, introducatur. Et in hac reductione, fit generatio & corruptio, mediante materia prima, per quam reducendum in illam nudam formam reducitur, & non aliter: quia talis motus est ad formam substantialem, qui proprie dicitur mutatio, & non motus, ut probatur quinto Physicorum. Qui igitur metalla solummodo liquefaciunt, & suas medicinas non ex uero fundamento præparatas super ea proijciunt, non transmutant speciem de specie uel metallum, sed solum alterant, ita ut uideantur aurum & argentum.

Similitudo probans quod necessario requiratur reductio metallorum imperfectorum in primam materiam.

Cap. XXXV.

SI ex aliqua re debet fieri homo, ut ex carnibus & oleribus quæ commeduntur, uel ex alijs cibis, oportet quod

prius fiant faguis, & ex faguine ſperma, & ex ſpermate homo. Ita ſi metalla debent fieri Sol uel Luna, oportet quod prius fiant materia prima, id eſt argentum uiuum, & ſulphur.

Alia ſimilitudo de tranſmutatione corporum imperfectorum. Cap. XXXVI.

SIcut homo æger per ſolum alterationis motum fit ſanus, abſq; motu generationis & corruptionis, ita quoq; metalla ægra, per ſolam alterationem & accidentium communium mutationem, & egritudinem in ipſis facientium remotionem, ſanantur & perficiuntur, & remanent aurum & argentum uerum. Quia metalla non differunt ſpecie, ſed ſolum per accidentia quædam, quæ illis in terra ſuperueniunt, ſecundum plus uel minus.

Alia ſimilitudo confirmans omnia metalla eſſe aurum actu, & habere formam ſubſtantialem auri actu, etiamſi non habeant caſdem paßiones & proprietates actu cum auro.

Cap. XXXVII.

SI quis hominum laborat Epilepſia, uel Apoplexia, aut Mania, aut Phreneſi, tunc planum eſt, illum non poſſe exercere operationes hominis, ſiue actiuas, ſiue paſsiuas. Similiter, mulier cum patitur ſuffocationem matricis aut ſyncopen, & tamen habent formam ſubſtantialem hominis actu, non tamen proprietates & paſsiones hominis actu habent, nec eas exercere poſſunt. Simili modo dicimus in me-

in metallis ægris esse, quoniam sunt actu aurum, & habent formam substantialem actu, sed eorum ægritudo proprietates & passiones illorum occultat, ut in actu non appareant operationes auri & argenti. Et ideo sicut homo æger, adhibita medicina, per solam alterationem fit sanus, & manet idem homo formaliter ut prius, sic corporibus metallicis medicina uera superueniente, quoque contingit, & per solam alterationem fiunt sana, & fiunt idem aurum & argentum, ut aliud. Et sicut per uegetabilia, corpora ægra humana curantur, quod fit ex occulta uirtute illorum, quæ in eis continetur, Vt Hermodactili attrahunt & euacuant flegma â iuncturis, Lapis Iudaicus, frangit & educit lapides renum, Lapis spongiæ, educit lapides uesicæ, Lapis Lazuli, & lapis Armenus euacuant Melancholiam, Scammonea choleram, item Apium nocet prægnantibus, & pueris, & Epilepticis, Lepus marinus commestus inducit phtisin, quæ omnia fiunt ex uirtute in illis occulta, & unumquodque alterat secundum suam uirtutem & proprietatem, sic eodem modo, per uirtutes occultas in mineralibus corpora metallica ægra curantur & alterantur, atque ad pristinam sanitatem auri & argenti ueri deducuntur.

Quomodo potentia se habeat ad actum, & quod omnia se habeant ad aurum sicut potentia ad actum.

Cap. XXXVIII.

POtentia habet se ad actum, sicut non esse ad esse, & sicut imperfectum ad perfectum, & sicut materia ad formam Quia ex ente in potentia, fit ens in actu, & ex non ente, fit ens, & ex imperfecto fit perfectum, & ex materia fit forma,

tam in naturalibus quàm artificialibus, non autem è conuerso. Vnde non dicimus, quod sperma sit in potentia saguis, nec saguis in potentia cibus, nec cibus in potentia quatuor elementa. Similiter quod domus non sint in potentia lingua, lapides & cementum, neq; quod uestis sit lana in potentia uel linum, sed potius è conuerso. Quapropter non omne illud, ex quo fit aliquid, dicitur materia illius. Eodem modo dicimus de generatione metallorum, quod omnia se habent ad aurum, sicut potentia ad actum, & sicut imperfectum ad perfectum, & sicut materia ad formam, & sicut non esse ad esse. Itaq; Luna inter cœtera imperfecta uicinius est auro, quia res quæ est propinquior bono completo, id est, auro, & quæ facilius recipit illam bonitatem, est melior. Ideo argentum in primo gradu est melius alijs, æs secundo, tertio stannum, quarto plumbum, ultimo ferrum &c.

Quod transmutatio metallorum imperfectorum continuo à natura fiat uersus aurum.

Cap. XXXIX.

AB experientia autem in mineris acquisita, expresse patet, transmutationem metallorum imperfectorum continuo à natura fieri uersus solem, & ideo sæpe reperiuntur mineræ mixtæ. Minerarum enim fossores in quibusdam mineris stanni & plumbi, reperiunt substantiam argenti puram, in examinatione & purificatione, Et in quibusdam mineris æris & ferri substantiam auri puram quamuis hoc forte in mineris ferri raro reperiatur, propter sui magnum inquinamentum. Et in quibusdam mineris argenti reperiunt substantiam auri puram, ut in regno Sueuiæ, id est, Rusiæ,

quod est

quod est in partibus Sclauoniæ, & sunt simul sic à natura commista, ut sensu non appareat Sol imo uidetur totum argentum, sed per examen, quod cum Sulphure fit in igne separant hoc ab illo. Ex quibus patet omnia metalla in transitu & uia esse ad aurum. Et ideo iam sæpe repertum est in partibus Germaniæ & alibi in minera argentum imperfectum copiose, quod est passum scatesin, id est, indigestionem, ex indigentia caloris, & dicunt tunc & consulunt, qui de mineris sciunt, quod sic dimittatur usq; ad trigesimum annum aut plus, sic cognoscunt experti quod fit Optesis, id est, completa digestio, à calore mineræ, & erit argentum uerum.

NOTA. Sicut non est necesse quod indigestum existens in semita & uia digestionis, continuo reuertatur ad principium digestionis, ita neq; in materiam suam primam, id est, proximam. Cum igitur metalla imperfecta sint in semita & uia digestionis continua, et cũ indigesta sint, non erit necesse quod reducantur ad principium digestionis, nec in materiam suam primam, sed solum digestio continuetur, quousq; fiant aurum, sed in his quæ non habent hunc ordinem gradualem, & potentiam naturalem, necessarium est ut in suam primam reducantur materiam. Exempli gratia, si ex Boue uel tritico deberet fieri homo, necesse est ut corrumpantur & digerantur, & fiant materia prima hominis, id est sperma, quamuis materia remota & omnium prima hominis, sint elementa, & cibus ex elementis propinquior seu propinqua, Saguis autem ex cibis propinquior, sperma uero ex saguine magis propinqua materia, frustum autem carnis ex spermate generatum, est materia propinquissima. Si ergo ratio accipit pro materia prima, quatuor elementa, sic nihil

arguit cõtra nos. Quia si ex elemẽtis debet fieri homo, oportet necessario quod per dispositiones transeat ordinarias, quas diximus. Sed si ex spermate debet fieri homo, non est necesse quod in primam reducatur materiam, quæ est quatuor elementa, nec in saguinem, nec in cibum, quia esset retrocedere à forma disposita, sed oportet ut continuetur digestio, quousq; materia recipiat formam hominis. Sic si ex elementis debet fieri aurum, oportet necessario quod per dispositiones transeant medias ordinatas, scilicet ut ex eis fiat aqua uiscosa grauis, tũ terra tenuissima sulphurea, quæ fit argentum uiuum. Posthoc aũt mediante actione sulphuris in eo, fit aurum, uel metallum aliud, quod post fiat aurum. Si igitur hæc metalla imperfecta uolumus perficere in aurum, non est necesse ut in materiam primam reducantur, quia natura non operatur per illum modum in suis mineris, Ergo & ars cum sit sequela naturæ tenebit modum naturæ. Si autem ratio accipit pro materia prima, materiam propinquam, sic ratio magis oppositum arguit. Quia qualis est ordo & proportio elementorum ad saguinem & sperma, ut fiat homo, talis etiam est ordo & proportio elementorum ad argentum uiuum & Sulphur. Sicut ergo non est necesse ut illa conuertantur in materiam primam, quæ est quatuor elementa naturæ, nec in ipsorum intermedia, ut fiat homo. Sic & in proposito. Quia sicut natura in suis operibus non tendit retrocedere, sed continuo appropinquare ad terminum, sic & ars. Et per sperma antedictum, intelligo menstruum cum à spermate in materiam spermatis conuertatur ut sit materia Embrionis. NOTA. Metalla imperfecta sunt sicut medium inter aurũ & argentũ, ex parte una, & Sulphur & argentũ uiuũ, ex parte alia, cũ aurũ sit sicut finis, & ista sint

principia. Et quia mediũ est propinquius fini, quã principiũ, ideo imperfecta metalla sunt propinquiora auro, quàm sua principia, quæ sunt materia prima, quocunq; tamen modo materia prima accipiatur, oportet quod in ipsam materiam primã, id est, nudã, metalla oĩa, si debeant transmutari in Solem, reducantur. Sola enim liquefactio metallorũ nõ reducit ea in materiã primã, id est nudã, ut arguit ratio, & bene. Animaduertendũ tamẽ, quod quamuis metalla imperfecta dicũtur sicut mediũ & transitus ad aurũ, argentũ aũt uiuum sicut principiũ, à quo incipit talis motus, hoc intelligendum est, quo ad naturã. Quia quantũ ad naturã alia dispositio & aliud tempus & transitus est, scilicet ipsius argenti uiui ad aurũ. Et aliud tempus unius cuiuscunq; metallorũ imperfectorum, ut per finem digestionis & complementi fiant aurũ, sed quantũ ad artẽ, sunt eiusdẽ dispositionis, & eiusdẽ temporis. Cum enim solũ argentũ uiuum imperfectorũ perficiatur ab Elixiri in Solem, ut prius dictum, quod fit per expoliationem Sulphuris corrumpentis, et Mercurius uulgi non indigeat expoliatiõe aliqua, ergo oportet quod per talem expoliationem istud redeat ad naturã istius ipsius nempe coagulatio nõ impedit identitatem suæ naturæ, cum natura istius. Quare eadẽ dispositio & idem tempus erit perfectionis ipsorum. Quoniam potentia & uirtus elixiris multiplicata exuberans se per utrumq; extendit, & perfundit seu diffundit in momento, & perficit æqualiter communicando utriq; digestionem exuberantem, & excedentem quam habet, ita ut in utrisq; fiat digestio.

Quæ nam metalla debili, & quæ forti, item quæ temperato calore, sint coagulata. Cap. XL.

Natura

NAtura quædam debili calore coagulauit, et fecit ea semidigesta, ut Saturnum & Iouem, Et quædam superfluo calore adurente coagulauit, ut Martem & Venerem, quędam calore satis temperato coagulauit, ut Lunam, quædam non coagulauit, propter penuriam caloris & carentiam & separationem agenti studiose, ut Mercurium, quædam coagulauit cum omni temperamento, ut Solem.

Quod ars eandem recipiat materiam quàm natura.

CAP. XLI.

CVm materia sit una & omnino determinata apud naturam, & non multiplex, Ergo necessario illa una determinata materia & eadem erit similiter apud artem Chymiæ, & non multiplex. Hæc autem materia est argentum uiuum, secundum omnes Philosophos, tam naturales quàm Chymistas. Ergo & apud artem Chymiæ, materia erit similiter argentum uiuum. Et quia materia non producit e ipsam in esse, ad generationem, & formam, sed ab agente proprio dirigitur & informatur, tunc necessario oportet, quod illud argentum uiuum quod est materia, dirigatur, digeratur & informetur à suo agente proprio, ad terminum intentum naturæ, quæ est generatio metallorum & auri, & aliorum quorundam, quæ nunc relinquimus. Hoc autem agens est Sulphur sibi in proprijs mineris coniunctum, habens illud argentum uiuum à propria natura coagulare, & digerere per calorem naturalẽ mineralem, secundum Philosophos naturales, Ita ut in fine digestionis necessario aliquod metallorum ex eo generetur, & ultimo Sol. Videtur ergo necessariũ quod illud idẽ agens, esse debeat apud artẽ coniunctum argento uiuo, ut dirigat, digerat, & informet

illud

illud argentum uiuum, ita ut in fine digestionis, & complemento, generet idem aurum omnino, sicut facit natura ex eo. Necessario ergo oportet, quod idem argentum uiuum & idem sulphur quod subijcitur operationi naturæ, subijciatur & omnino operationi artis, & non aliud, quantumcunque simile uideatur, secundum genus & apparentiam. Nisi enim essent subiecta actibus nostris, impossibilis esset hæc ars omnino. Veruntamen modus agendi & digerendi, & informandi artis, est diuersus à naturali, & similiter organum, siue locus & tempus, sed æquipollent ad eundem ultimum finem. Omnis enim forma adueniens materiæ suæ dispositæ, informat eam necessario, cum actus actiuorum in paciente sint dispositi.

Quod natura duplicem assumat modum generandi aurum.

Cap. XLII.

NAtura duplicem assumit modum generandi aurum. Vnum per se, & primo scilicet, quia generat aurum in mineris proprijs, & ex suis principijs. Alium per se, sed non primo scilicet, quia primo generat aliquod metallorum imperfectorum, ex ijsdem principijs in sua minera, & conuertit ultimo ipsum in Solem. Sequitur ergo ars naturam in generatione auri, secundo modo scilicet, quia generat ex imperfectis metallis aurum, sicut facit natura. Primo autem modo impossibile est, artem sequi naturam, &c.

NOTA. Quæcunque alterantur, uel per argenti uiui uirtutem, aut sulphuris, aut horum similium, necesse est alterari. Quoniam hæc sola communicant corporibus in natura.

Quomodo faciat natura & ars aurum ex metallis imperfectis.

Cap. XLIII.

EXpoliat argentum uiuum per digestionem completam omnino à sulphure corrumpente, quod ipsum decoxit, & in eodem instanti, informat illud argentum uiuum forma auri. Idem facit ars, quamuis modus expoliandi artificialis, distet à modo expoliandi hoc sulphur naturale. Non tamen illa diuersitas modi diuersificat rem in forma, quia modus rei non est idem, quod ipsa res. Quia si natura non transmutaret ipsa metalla imperfecta in aurum, ars quoque non posset peruenire ad illud, & sic ars uana esset uel nulla. Talis est generatio saguinis in corpore humano. Quia generatur per se, & primo, & generatur etiam ex flegmate per se, sed non primo, cum flegma sit saguis indigestus, & uia media ad saguinem.

Quod sulphur argenti uiui det ueram formam auri & nihil aliud.

Cap. XLIIII.

SVlphur occultum in argento uiuo est dans formam Solis, sed per uirtutem caloris auri naturalis siue mineralis, & sulphuris extrinseci. Ergo quodcunque metallorum colore aureo cum Tutia aut sulphure extrinseco, aut Croco ferri, aut chalcanto, aut quibuscunque alijs, siue simpliciter, siue commixte coloratur, Sophistice colorant, & non dant formam auri.

Nota

Nota de argento reducto ad pondus auri.

Cap. XLV.

DIcimus quod non habet mollíciem ad malleum, & flexionem, nec ignitionem auri, nec fusionem, nec sonum mutum auri, sed est ut argenti. Nec bibit Mercurium tam facile ut Sol, nec potest cum eo deaurari aliquod metallum, ut audiuimus ab illis, quamuis sustineat Cementum. Ex quo patet quod Cementum non est ultimum examen auri, sicut communiter aliqui existimant.

Quales nam habeat operationes argentum uiuum cum uincit, & cum est uictum. Cap. XLVI.

CVm argentum uiuum uincit, apparet albedo simplex, quæ est fundamentum & elementum omnium colorum, cum autem uincitur, apparebit citrinitas & rubedo. Vincit autem dum fluxibile est, uincitur uero, quando coagulatur. Coagulatur enim ab eo quod est in seipso ad perfectionem, & non ab alio. Hoc autem est sulphur diuinum, quod est in ipso, & est album in actu, propter potentiam & uirtutem argenti uiui dominantem, & superantem tunc in colore. Et est rubeum in potentia propinquissima, quæ cum actu fiet, semper dominabitur, & hæc est de natura solis, & forma solis, & cor eius est flos auri, & aurum Philosophorum, & est aqua sicca lapidea, & puluis siccus, & ignis, & terra, & lapis rubeus, secundum Philosophos. Sed Mercurius est de natura Lunæ, & spiritus Lunæ & aqua humida, & puluis humidus, & aer, & anima & lapis albus, & aquila uolans, lac uirginis, mulier superba.

Cum uero istæ duæ aquæ coniunguntur, & coagulantur in

tur in albo colore, fit Electrum, quod est lapis commixtus ex Sole & Luna, cuius color est Lunaris albissimus, tanquam nix, & tunc fit partus uirginis, & idenditas generantis & generati &c.

Quod omnis forma præter animam rationalem introducatur ab intrinseco de potentia materiæ.

CAP. XLVII.

OMnis forma præter animam humanam cuiuscunque rei, tam animalis quâm uegetabilis, & mineralis, introducitur ab intrinseco de potentia materiæ. Sola autem anima humana ab extrinseco, & primo motore datur. Hinc est quod uolentes reliquis metallis dare formam auri, oportet necessario illam dare ab intrinseco, & de potentia illius, circa quam operatur natura, si debet uere imitari naturam, tunc enim erit generatio ex conuenienti & proximo. Quia igitur natura recipit materiam quæ dicta est, ergo ars coacta est recipere istam atque eandem. Propter quod uidemus Mercurium uulgi, cum conueniat omnino cum illo argento uiuo Philosophorum, uniri & permisceri cum Sole. Vnde Philosophus quarto Metheororum: Et quia argentum uiuum cum corporibus metallorum commiscetur, iam est de illorum substantia &c. Reticuit autem de sulphure, quia non sic uidetur de substantia ipsorum. Cui igitur metallorum magis commiscebitur sulphur, magis participabit naturam sulphuris, & cui magis argentum uiuum, magis participabit naturam Mercurij. Sed cum sulphur nullo modo permiscea-

miſceatur auro, ERGO ſolum argentum uiuum erit tota materia auri, cum hæc duo, ſola ſint elementa ductibilium. Cum igitur lapis Philoſophorum ſit forma auri, & debeat metalla reliqua informare, ergo ex ſolo argento uiuo ipſum generare neceſſe eſt. Sicut etiam forma alicuius rei eſt per ſe nobilior, & in ſublimiori gradu auro & argento uiuo. Et ſic ſimpliciter altior & ſublimior eſt artis operatio, quàm naturæ. Et hæc forma fuit illa, quæ induxit Philoſophos antiquos, ponere formas à materijs ſeparatas, & dari ab extrinſeco. Sicut ponit Philoſophus quarto Methaphiſicæ, accuſans Platonicos. Forma enim quæ eſt eiuſdem naturæ cum materia, ſemper datur ab intrinſeco, quæ autem diuerſæ naturæ, ab extrinſeco, ut intellectus.

Quod de forma & materia fit compoſitum, quæ materia eſt argentum uiuum, & imperfecta metalla, compoſitum autem eſt aurum.

CAP. XLVIII.

NOta quod in iſtius operis fine, reperitur aliquid, quod eſt ſicut forma per ſe, & cum alia ſibi coniunguntur, fit compoſitum, quod quidem eſt forma auri ueraciter. Et ideo informat metalla imperfecta forma auri, & eſt forma uere ſeparata à tali materia perfectibili. Tamen hæc forma eſt fundata in materia, cum ipſa ſit corpulenta. Sed ſicut forma ſola nihil ualet, quia ſuas uirtutes & operationes manifeſtare non poteſt, niſi coniungatur materiæ, ut fiat compoſitum, quæ materia eſt argentum uiuum & imperfecta metalla, compoſitum autem eſt aurum, & hoc modo aurum nobilius eſt lapide. Ex dictis ergo liquidiſsimè patet, quod ſemper ſuperius dictum eſt, ſcilicet quod ſit unus ſolus lapis,

tam ad album quàm ad rubeum, omnia metalla perficiens in aurum, ut tota Chymia clamat. Nam cum forma Indiuiduorum eiusdem speciei sit tantum unica in specie, ita oportet quod omnis forma auri sit tantum unica. Quia igitur omnia imperfecta metalla debent fieri aurum per Chymiam, ergo per unam formam solam, ergo per unum lapidem solum. Omnis igitur alia forma, est inutilis & Sophistica. AMPLIVS notandum, quod in mineris argenti uiui nunquam reperitur Sulphur, nec è conuerso, propter quod natura nunquam in aliquod aliud transmutat eum. Quoniam separatio agentis & pacientis, facit necessario, ut non fiat actio & passio, ergo nec generatio. Ars autem ipsa coniungens, generat usifur, aut aliud. In mineris etiam metallorum non reperitur argentum uiuum nec Sulphur, in sua natura, sed quoddam tertium ex ijs ambobus commixtum & digestum, obtinens naturas, uirtutes & proprietates ipsorum, ut ex eo possit generari unumquodque metallorum secundum ipsius compositionis diuersitatem, & digestionis, & loci. Quicunque ergo ignorat radices minerarum, & simplices & compositas, ignorat radices & principia naturæ, ergo & artis. Non ergo adhæreat arti, nisi eam penitus inuestiget. Et hoc nouit Auicenna in sua Epistola, capitulo de medicina sumpta ex animalibus, comparans operationem artis figuratiue, ad operationem naturæ, dicens: Et inuenimus aquam animalium, hoc est, sicut argentum uiuum, quod est in mineralibus, & oleum ipsius, &c.

Quod aurum Chymicum sit melius naturali.

CAP. XLIX.

Aurum

AVrum Chymicũ est melius naturali. Quia minerale quodcunq;,habet stulphuris alicuius adurentis cõmixtionẽ, propterea quod denigrat,quare Sulphur ingreditur & adurit ipsum,& ob hoc in igne minuitur. Cum autem illud Sulphur per ingenium artis auffertur, remanet purum aurum, & de cœtero non minuitur, cum Sulphur adurens non ingreditur in ipsum, Aurum autẽ Chymicum est æquale minerali,quod iam ad ultimam perfectionem deuenit, ut est Sol Obrizon,id est abradians, hoc est purissimum. Dixi autem quod iam ad ultimam perfectionem deuenit, propter aurum ab illius colore remissum. Hoc enim tale etiamsi habeat perfectam formam auri,tamen accidentia sequentia formam,ut color totalis, non sunt omnino completa in ipso. Et quia natura in illo perfecto, posuit ultimos terminos seu gradus perfectionis,ultra quos non potest esse transitus,ideo similiter ars ultra transcendere non conetur, cum sit impossibile. Est ergo utrumq; æque perfectum, quamuis possit ars suum colorare eodem colore magis intenso, quàm natura suum,& minus sicut uult. Sed quia hoc esset deuiare à recto tramite naturæ, & intentione ipsius perfecta, quod non est simile operi naturæ,ideo ars colorat in gradu naturæ. Cognoscere igitur oportet hæc duo principia naturæ, scilicet materiam determinatam propinquam,& præcisum modum agendi, qui ex intentione naturæ consistit in illa materia,& dirigit atq; extollit artem,ut consequatur omnino naturam, & hoc proprie in liquabilibus mineralibus, ut dictum est. Ignorans ergo principia naturæ, non adhæreat arti,quoniam pocius erit Sophista, quàm Chymista. Hoc idem ait Geber in principio Summæ suæ: Scias fili, quòd qui principia naturalia in seipso ignorauerit, &c.

Quod Sol tincturam per se non potest perficere.

CAP. L.

SOl tincturam solam non perficit nisi mediante Luna, quia remote distat cum ad ipsam subtilitatem nondum, ut tingat, peruenit, & etiam propter ista media, scilicet densitatem & grossitiem. Quare necessario requiritur ibi Luna, ut ipsum Solem subtiliet, rarũ & uolatilem faciat, & eius impuritatem segreget. Ergo dicit Hermes, & Aristoteles de Plantis: Pater eius est Sol, mater uero Luna existit. Ergo Luna est mater, et ager in quo Solare semen, id est, paternũ, debet seminari. Et sic non indigemus alio ex quo lapis noster fiat quàm Solis & Lunæ, id est Lunæ Philosophicæ.

NOTA. Virtus Sulphuris Mercurij, est quasi semen paternum, Et Luna mater, id est, propria substantia Mercurij illius, qui est absq; Sulphure, Aqueum uero subtile mixtum terreo subtili, est quasi menstruum, & hoc est argentum uiuum, quod Mercurius à Philosophis nuncupatur, & hic est Mercurius Philosophorum. Est enim radix artis Chymicæ, quoniam ex eo, per eum, & in eo, sunt omnia metalla, Vnde uersus: Est in Mercurio quicquid quærunt sapientes. Nam sub umbra sua uiget hæc substantia quinta, propter hoc, quia sua media substantia ut dicit Geber est incombustibilis. Nam illa quinta substantia, quæ est in hoc Mercurio Philosophorum, figitur, & mutatur, quod ignem sustinet, & non fugit, sed perseuerat in eo.

Quod Sulphur & Mercurius idem sunt re & nomine.

CAP. LI.

Quia

QVia Philosophi ubiq; nominant dictum argentum uiuum, sulphur, & dictum sulphur, argentum uiuum, ideo Geber dicit: Est lapis unus, medicina una, in quo totum magisterium consistit. Nam istud argentum uiuum & sulphur, super quod natura fundat suam actionem, est argentum uiuum, deductum ad aliquam naturam aqueam subtilissimam, clarissimam, albissimam & amœnissimam, quam Philosophi uocant Mercurium, & ad quandam materiam terream subtilissimam, quam uocant sulphur, per artificium, quod Philosophi mirabiliter occultauerunt.

Quot sunt principia huius artis?

Duo. Materia nempe & Agens.

Quid est materia?

Est argentum uiuum & sulphur, quæ idem sunt re & nomine.

Quid agens?

Calor est agens, instrumentum mouens, ad corruptionem illius materiæ.

Quid est prima materia metallorum?
Cap. LII.

EST uapor unctuosus, utriusq; naturam in se continens, scilicet, sulphuris & Mercurij. Item humidum unctuosum, est materia nostri argenti uiui Philosophorum, & substantia suæ unctuositatis, est propria & essentialis materia sulphuris.

Potest ne argentum uiuum hoc Philosophorum figi absq; sulphure?

H Non.

Non. Nam sulphur stat sicut calor complexionabilis in argenti uiui substantia, & stat ibi sicut uirtus spermatis masculi, quod stat in semine mulieris, uel sicut alia uirtus generatiua.

Vnde colores in metallis ueniant?

Veniunt per proprietatem quintæ naturæ sulphuris & argenti uiui, per instinctum suæ naturæ.

Color & qualitas Mercurij qualis?

Soluta prima corporis forma per elementationem conuersam in Mercurium, est in colore subnigro, in odore fœtido, & in tactu subtilis & discontinua.

Quid primo faciendum in hac arte?

Indiges quod primo in solutione luminarium labores, qui primus gradus est operationis, ut fiant argentum uiuum.

Qua autem re soluuntur luminaria ista?

Per aquam Mercurialem, id est, per Mercurium.

Quot sunt elementa quæ in arte uidentur & tanguntur?

Duo, scilicet Aqua & Terra. Quamuis quatuor sint elementa, tamen saltem duo cernuntur. Nam aqua continet in se aërem, & terra continet in se ignem. Nam elementum aqueum, uocamus ipsius aquæ humiditatem, Aërem uocamus ipsius aquæ naturā, Ignem uero illam uirtutem, quam habet, qua comburit, calcinat & corpora soluit, Terra est ipsum corpus spissum & grossum per se. Et sic aqua & terra à nobis uidentur & tanguntur, & alia duo in his duobus intelliguntur.

Qui sunt gradus in hoc opere? Cap. LIII.

PRimus gradus fit calcinando, id est corpus primo debet calcina-

calcinari, Secundus soluendo, quia debet solui, Tertius distillando, quia debet distillari uel sublimari, Quartus igne leui congelando. Alius author sic ponit: Operatio quæ fit cum manibus, est primus gradus operis quæ fit per sublimationem, & mundationem. Secunda uero operatio, quæ fit cũ requie, & absq; labore aliquo, est secũdus gradus operis, quę fit per fixionem & permanentiam eius, quod sublimatum & mundatum est. Quia tunc agens cũ introducit formam, imponit finem operi, & quiescit atq; delectatur. Nam delectatio magis est in requie quàm in motu, septimo Aethicorum.

Quæ requiruntur ad hoc opus perpetrandum? Cap. LIIII.

TRia: Fumus albus, Leo uiridis, & auis Hermetis, cum his tribus præparatur opus, in principio, medio, & fine.

Quid est Elixir?

Est unctuosum humidum subtile, terreo subtili admixtum, & optime purgatum, quo metalla transmutantur.

Vnde extrahitur Elixir?

A materia metallica, id est ex metallis perfectis, scilicet Sole & Luna, per calorem temperatum, & hic calor extrinsecus debet ita temperatus esse, quod non excedat calorem intrinsecum, ut calor intrinsecus, retineat suum humidum, quod naturaliter secum trahit. RATIO. Nam si calor exterior excedit, tunc Elixir, id est, humidum unctuosum subtile terreo subtili admixtum, uel quinta essentia metallica, à forti igne euolat, nec in corpore perseuerat. Oportet igitur quod quicquid est superfluum, grossum atq; nociuum, per uirtutem & decoctionem lentam paulatim purgetur, conseruetur ac subtilietur.

Habent ne quoq; metalla calorem talem intrinsecum?

Cap. LV.

HAbent. Omne enim corpus elementatum, habet in se calidum formale seu radicale, cuius causa persistit, & est eius fixum quo persistit, & quo multiplicatur eius semen.

Habet ne Mercurius tale calidum formale in se?

Habet, eius nempe media substantia est illud.

Quod est calidum formale in Sole?

Súlphur eius. Hoc enim sulphur in Sole, & illa media substantia in Mercurio, habent naturam digerendi materiam ad finem & formam debitam.

Quid est media substantia Mercurij?

Cap. LVI.

EST materia ex qua nostra conficitur medicina, quæ ex Mercurio ducit originem, ex illa debet hæc medicina creari immediate, id est, nihil debet misceri huic mediæ substantiæ, nisi quod fuit ortũ ex ea in proprietate naturæ suæ.

Quomodo appellatur hæc media substantia Mercurij?

Dicitur sulphur, quia non amplius est argentum uiuum in sua natura, sed mutatum est in sulphur. Vel: Est spiritus participans duabus extremitatibus. Veruntamen quamuis iste spiritus sulphur factus sit & lapis, uocatur tamen simpliciter argentum uiuum. RATIO. Quia hoc sulphur illuminat, & ab adustione conseruat, quod est sibi proprium tanquam perfectionis signum.

Quantum

Quantum conficitur ex libra una Mercurij huius mediæ substantiæ?

CAP. LVII.

VIx medius loto, id est, duæ drachmæ. Nam Chalidius dicit: Aqua, id est Mercurius uel argentum uiuum, non plus ponderis adijcit uel dat corpori, nisi quantum de humiditate metallina secum habet, uel in se habet. Quia humiditas aquæ transit & metallina manet.

Quid hanc mediam substantiam Mercurij transformat in ruborem & tincturam auream?

Candida rubedo æris nostri, id est Sulphur Solis.

Quomodo amplius dicitur hæc media substantia Mercurij?

Semen paternum.

Quid est Menstruum Mercurij?

CAP. LVIII.

Est humidum superfluum quod debet deponi.

Quomodo extrahitur hoc semen paternum & menstruum Mercurij?

Mediante coagulo. Nam tale coagulum hoc semen in Mercurio coagulat, & retinet, & menstruum recedit, Velut coagulum lactis lac coagulat, & eius meliorem substantiam, id est, mediam ad se trahit, & secum retinet. Sic quoque spiritus id est aqua, non coagulatur nisi mediante corpore, id est, coagulo, quod in ea sit dissolutum, cum corpora sint coagulum lactis huius, id est, Mercurij. Et tale coagulum debet

esse, aut Sol aut Luna in ipso Mercurio soluti, sed tamen solummodo Luna ad albū, & Sol ad album & ad rubeum.

Quottuplex est argentum uiuum?

CAP. LIX.

DVplex. Fixum in ære nostro, id est Sole, & uolatile fugiens, id est, Mercurius, retinetq; unum aliud quod est sui generis, & à fuga cohibet.

Quid est corpus in hac arte?

Est ens metallicum, in quo uirtus mineralis Spiritus quiescit.

Quid sunt metalla?

Sunt ea ex quorum spiritu omnis lapis componitur.

Quid autem est talis spiritus?

Est uirtus mineralis in qua naturæ metallorum quiescunt & ille spiritus in arte dicitur Mercurius.

Quid faciendum si aliquid remansit de spiritu cum terra, habet enim reduci super terram?

Necesse est ut sublimetur igne tertij gradus, ut conuertetur in terram foliatam, quæ dicitur quinta essentia metallorum terræ, & terra tunc inferius manens, dicitur scoria, puluis damnatus, quo non indiges. Tamen argentum uiuum exuberatum, est terra corporis, cum menstruo simul transiens, per alembicum. Et Sulphur naturæ, est spiritus metallorum sublimatus, & conuersus in terram foliatam, quæ est prima materia metallorum.

Quid

Quid opus est dictum spiritum sublimare, & in terram uertere foliatam?

CAP. LX.

VT separetur mundum ab immundo, subtile à spisso, uel grosso terrestri.

Quot habet nomina spiritus metallorum dictus?

Multa habet nomina. Dicitur enim Ens metallicum, Virtus mineralis Mercurij, Terra foliata, Quinta essentia terræ metallorum, Sulphur naturæ, Anima elementorum, Materia omnium aliarum formarum.

Est ne dictus spiritus, uel forma calidus uel frigidus, humidus, uel siccus, masculus uel fœmina?

CAP. LXI.

NOn, sed sic intelligendum est, quod ratione suæ magnæ perfectionis, ipse participat cum qualibet aliarum quatuor naturarum, & transit confuse per omnia elementa, & participat cum quolibet suarum naturarum, & facit pacem inter inimicos, id est inter cœtera elementa, quæ sunt pugnantia. Hæc Reimundus. Virtus Sulphuris Mercurij, est quasi semen paternum, Luna mater. Inde dicit Hermes, Pater eius est Sol id est Sulphur, Luna mater existit, id est, propria substãtia Mercurij scilicet aqueũ subtile mixtũ terreo subtili est quasi mẽstruũ. Nutrix eius terra, est scilicet terreum subtile, in quo habet humidũ radicale, Et terra dicitur mater elementorum, quia portat filium in uentre suo, id est, oportet eum nutrire ex prima substantia pura, et filius dicitur

dicitur corpus aut terra foliata, id est spiritus & corpus mortuum. Iunge ergo humidum sicco, & lætabitur, quia istud humidum est spiritus & anima, siccum terra aũt corpus mortuum. Ideo animas corporum ingredi non possunt nisi mediante spiritu.

Quid sit lapis noster & Mercurius noster?

CAP. LXII.

EST spiritus humidus aqueus, sed Mercurius, id est, tinctura, extrahitur ex incorruptibili grano, procreatum uirtute diuina, & pro certo hic Mercurius non est uulgaris, non enim tam cito coagularetur.

Quid nam ex Mercurio sit eligendum?

Necesse est quod eliciatur substantia eius unctuosa, aërea, in qua latet spiritus quintæ essentiæ, quæ substantia habet uim corrumpendi Solem, & in suam primam materiam transformandi, illudq; perfecte uolatizandi, & in spiritualitatẽ transmutandi, cuius modus operationis est, ut scis, &c.

Quid est tinctura?

CAP. LXIII.

EST compositio lapidis, ignis & aëris, auri uel argenti. LAPIS VERO, est corpus compositum ex quinta metallorum essentia, quæ dicitur aliâs argentum uiuum deductum de eorum potentia in actum, per magisterium omnium principiorum huius artis.

Quid est Oleum in hac arte?

Est

Est limositas omnium metallorum, natans super menstruum, post dissolutionem illorum.

Quid est hoc menstruum?

Est illud, scilicet cuius ratione corpora metallorum naturali dissolutione dissoluuntur, & spiritus eorum de potentia ducuntur ad actum.

Ex quibus componitur Elixir Philosophorum?

Ex tribus, Lapide Lunari, Solari, & Mercuriali, id est, media substantia Mercurij. In Lunari uero existit sulphur, in Solari uero sulphur rubeum, Lapis uero Mercurialis amplectitur utramque naturam, albam & rubeam, & hæc est fortitudo totius magisterij.

Quid est sperma in arte?

Est aqua uiua.

Quid uero terra?

Est corpus imperfectum, quę terra uel corpus merito dicitur matrix, quia ipsa est mater omnium elementorum. Ideo quando sperma Mercurij coniungitur cum terra corporis, dissoluitur in aquam spermatis, & fit aqua sine diuisione una.

Si quis conatur perficere imperfectum cum perfecto, quomodo faciendum? Cap. LXIIII.

NEcesse est, quod corpus perfectum subtilietur. Est aũt subtiliatum cum ad primam materiam est reductum, & cum ipsa argenteitas uiua corporis perfecti sit fixa, figit argenteitatem non fixã ipsius corporis imperfecti, & illa argenteitas uiua nõ fixa, quæ est in metallis imperfectis, cũ sua fuga & uelocitate abstrahit argenteitatem uiuam fixam, à

corporibus perfectis, & facit eam illico penetrare, transformare, glorificare, & omnino perficere.

Quando habetur sperma metallorum, ex quo metalla artificialiter fieri possunt, sicut facta sunt ex eodem spermate naturaliter?

Cum corpora sunt redacta in primam materiam, id est, argentum uiuum, siue Mercurium.

Quid sit lapis animalis? Cap. LXV.

OMne sal fixum ponitur pro corpore, uel pro retinaculo, & tale sal extrahitur à rebus calcinatis. Et sal nostrum, quod est tinctura, extrahitur à calce metallorum, per putrefactionem, usque totum compositum exuat suam naturam, & induat alienam. De tali sale dicit Senior: Primo fit cinis, id est, calx, postea sal, & de isto sale, per diuersas operationes Mercurius Philosophorum. Item Raimundus: Ars semper indiget calce, id est terra sua propria, cui maxima uirtus mineralis est imposita, ad indurandum Mercurium, Quia ipsa semper fluit per media & extrema lapidis, ideo ea non obliuiscaris. Postea spiritus & anima debent reddi corpori, & sic corpus resuscitari, ac spiritus & anima in corpore mori. Iuxta dictum Philosophi: Qui mecum moritur, mecum oritur.

Quomodo hoc dictum Philosophorum est intelligendum, Qui mecum moritur, mecum oritur.

CAP. LXVI.

Sic

SIc intellige. Nam spiritus, id est Mercurius, est animæ locus, id est, Mercurij corporis. Et ille spiritus est aqua sicca Philosophorum, scilicet media substantia argenti uiui, qui scilicet spiritus extrahit hanc animam à corporibus perfectis. Ipsa autem anima, est tinctura soluta in spiritu, id est aqua Philosophorum. Nam sicut tinctura uulgi portatur in aqua sua, quæ tingit pannos, & aqua colorata currit in pannum, & tunc recedit aqua per exsiccationem, & remanet tinctura in panno. Sic quoq; aqua sapientũ, in qua est tinctura, reducitur super terrã suam albam benedictam sicientem, & currit aqua Philosophorum in terram dictam, & extenditur corporaliter in illa, & terram tingit. Deinde recedit aqua spiritualis, & remanet anima in corpore, quæ est tinctura. Quia est fumus subtilis inuisibilis, & non apparet effectus eius nisi in corpore, id est terra. Nam totum magisterium nostrum fit cum aqua nostra, & ex ea, & de ea omnia sunt necessaria. Nam ipsa corpora soluit, solutione uera Philosophica, ut conuertantur in aquam, ex qua ab initio fuerunt. Dicit Socrates, item & Hermes de hac aqua. Ipsa enim aqua soluit corpus in spiritum, & de mortuo facit uiuum, & facit matrimonium inter uirum & mulierem, etenim totum beneficium artis facit.

Quotuplex est Mercurius in arte?

Cap. LXVII.

DVplex. Præparans & tingens. Præparans est, qui corpus dissoluit & mundificat à corrumpentibus causis, & extrahit secundum spiritum in corpore existentẽ & tingentem,

tem. Et hic iterum duplex reperitur. Primus, est uapor siccus non uiscosus, acedinis multæ, subtilis ualde, faciem ignis de facili fugiens, uim magnam penetrandi habens, mineralia corpora resoluens, & eius generatio est ex rebus ponticis. Et Albertus uocat hunc, humidum siccum igneum. Secundus, est in uapore humidus non unctuosus, sed uiscosus, acedinis maximæ, mediocriter subtilis, ignis asperitatem de facili fugiens, habens uim soluendi corpora, & spiritus. Notandum item diligenter, quod aliud est unctuosum, & aliud uiscosum. Nam ex humido uiscoso generatur lapis, & ex unctuoso generantur metalla. SPIRITVS VERO TINGENS, Est Mercurius Philosophicus cum suo sulphure albo uel rubeo naturaliter sibi commixto in ipsa minera. Extrahitur autem ex corporibus perfectis per dissolutionem, distillationem, sublimationem, & subtiliationem. Et tale argentum uiuum dicitur Oleum incombustibile, anima, aër, & splendor corporum, quia corporibus metallicis mortuis & imperfectis uitam præstat immortalem, & ea illuminat. Extrahe ergo argentum uiuum seu lapidem Philosophorum, tam à corporibus quàm à uiuo argento, quoniam unius sunt naturæ, & habebis Mercurium & sulphur de illa materia super terram, de qua Sol & Luna generata sunt in terra, uel subtus terram. Danda igitur erit opera ut primo extrahamus tincturam de corpore, per primum spiritum, scilicet præparantem, ita ut in corpore nihil remaneat, quod non ascendat cum spiritu humido, quo madificatur corpus, & in aquam uertitur claram. Primo tamen apparet nigredo, & in primo opere totum fit mundum. Porro uero laborandum est, quod totum corpus humidum fiat terra, scilicet lapis, & aqua, scilicet coagulata in eo, in co-

lore

lore picis liquidæ. Et quando uideris in principio operis quasi grana rubea & in coagulatione uelut oculi piscium & quasi grana piperis nigri, scias te recte ambulasse. Dicit Philosophus: Nam ignis coagulatur, & fit aer, aer uero coagulatur & fit aqua, aqua uero coagulatur & fit terra, & tunc fiat in amplo uitro, ponendo eum in putrefactionem inter cineres calidos, & cineres, in quibus stat uitrum, in quo senex ille sedet, debet transire usque ad altitudinem illius senis, & dimitte ibi per quadraginta dies uel ulterius, secundum materiæ quantitatem donec peragatur.

Quid sunt dies?

CAP. LXVIII.

MVndus & Ascanius affirmare audent esse septimanas. Nam dicunt, pone lapidem in putrefactionem per quadraginta dies, id est, hebdomadas, tunc munda eum ab eius nigredine, & caueas tibi ne per calorem extraneum in eius mundificatione uirtus generatiua tollatur, ut dicit Philosophus: Munda per distillationem, primo cum suaui igne, deinde modice fortiori distilla Mercurium, qui animam Solis uel Lunæ secum portat, & non distilla ita forti igne, quod terra, id est, elementum terræ transeat, sed tantum ut Mercurius superfluus qui cum corpore non potest exsiccari, transcendat. Quod uero in fundo remanet, est Sal nostrum, id est terra in colore nigra. Et caueas etiam ne in distillatione præ nimio calore corpus reducatur in solidam massam, aut ne nimis siccum remaneat & aduretur. Igitur sic distilla, quando gutta incipit cadere, quod sexaginta octo, ut dicit Arnoldus, uel septuaginta momenta, ante

casum alterius guttę, numerare posſis, & ſi tranſcendat gutta extrahe ignem, ut dicitur in Turba, & ſi tardius auge modicum ignem, & non ſequaris tuam imaginationem, fortificando ſcilicet ignem in fine diſtillationis, ſed cum igne ſuaui.

Quod est ſignum diſtillationis completæ?

CAP. LXIX.

CVm medium Mercurij aut magis à terra per alembicum diſtillaſti, quem impoſuiſti, & quod terra remaneat mollis, & liquida, ſicut dicit Arnoldus. Quam terram ſic liquidam, pone in uitro bono, & longo collo, & ſigilla Hermetis ſigillo, & pone in cineribus calidis primo per octo dies, alijs autem diebus ſint cineres calidiores, & ſtet in tali calore ad uiginti quinq; dies naturales uel ad triginta, uſq; terra exſiccetur, & remaneat arida in fundo uaſis, poſt fac agitationem uaſis cum manu fortiter & ſubito, quia materia, id eſt, terra ſolet adhærere nonnunquam lateribus uaſis. Et quanto magis materia fuerit putrefacta, tanto fortius adhærebit ut dicit Roſarius. Et ſi materia minus eſſet conculcata ad inferiores uaſis partes, tunc oportet quod fiat contritio prædicta, in uitro, cum piſtillo uitreo. Et ſic habes terram quæ prius fuit. Quia ſaltem duo ſunt elementa formalia, ſcilicet aqua & terra, licet uirtualiter in eo ſint omnia quatuor elementa. Et totum magiſterium eſt diuidere elementa à metallis, id eſt aquam & terram quam formaſti, eaq; purificare, id eſt, cum Azoth abluere uel imbibere, quouſq; dealbetur, & à metallis Sulphur naturæ diuidere, id eſt, fermentum facere, quod eſt anima metallorum.

Quid

Quid est separatio Elementorum? id est, aquæ & terræ.

CAP. LXX.

Est segregare hæterogenea, id est accidentia.

Quid est coniunctio elementorum?

Est cumulare homogenea, hoc est quæ sunt de natura humidi radicalis.

Est ne nigredo maior in opere Solis quàm Lunæ?

Manifestum est in omni opere & putrefactione apparere nigredinem. Dico tamen, quod in opere Solis, maior nigredo apparet, quàm in opere Lunæ, quia Sol inter alia corpora omnia, minoris est quantitatis Sulphuris. Maioris autem argenti uiui continens.

Vnde procedit nigredo in putrefactione?

Ex argento uiuo corporum, id est, quod inest corporibus, non ex illo, cum quo fit solutio.

Sequitur de Imbibitione terræ exsiccatæ.

CAP. LXXI.

POstea recipe terram nigram tritam, imbibe ipsam cum Mercurio quem abstraxisti, ita quod solũmodo materia cooperiatur, aliqui uolunt, quod super eam natet, duos digitos aut tres, primum tamen melius est, ideo ne submergatur, & sigilla uitrum Hermetis sigillo, Et hoc ideo ut actiua à passiuis non recedant, donec ad decoctionem deueniant perfectam, & pone inter cineres calidos ad exsiccandum, Et hoc fac secundo, scilicet imbibendo, & exsiccando,

exſiccando, & tertio & quarto, donec terra ſit ſatis alba, & fixa. Et ſi corpus uel terra non fuerit ſatis alba, tunc tere ipſam iterum cum aqua, et iterato exſicca. Sic enim Azoth, id eſt, aqua Mercurialis & ignis, id eſt, calor qui applicatur, latonem, id eſt, terram nigram, abluunt & mundificant, & eius obſcuritatem aufferunt, ut dicit Philoſophus. Præparatio enim terræ eſt cum aqua.

In quot diebus completur opus ad album poſt ueram purificationem lapidis?

CAP. LXXII.

MEthodus dicit in quadraginta diebus & noctibus.

Eſt ne tempus determinatum in purificatione uel ablutione Lapidis?

Non eſt, niſi ſecundum quod artifex bene laborat.

In quot diebus completur opus ad rubeum?

In nonaginta diebus & totidem noctibus, & in centum, & quinquaginta diebus & noctibus, cum fermento, ad perfectionem perfectam uel totam.

Diminuitur ne etiam corpus in tali decoctione?

Pantholphus in Turba dicit, quod in quarta parte diminuatur.

Cautela de imbibitione terræ nigræ.

CAP. LXXIII.

PRæcaueri debet de fractione uitri. Unde debet notari, quod aqua ſit calida & etiam terra, & moueatur uas cum

cum manu, & teneatur in continuo calore, & iterum agitetur subito propter adherentiã ad latera, donec materia fiat sicut lutum turbidum. Et tunc sigilletur uitrum, & ponatur inter calidos cineres ad exsiccandum, ut supra, quousq; fiat siccus puluis. Item est maxime cauendũ, ne spiritus qui corpus exsiccat, & à corpore exsiccatur, fiat uolatilis. Nam si à corpore uolauerit, corpus perfectum esse non potest, ideo etiam requiritur sigillatio uasis.

Quod nam est tempus cuiuslibet imbibitionis ad exsiccandum?

Viginti quinq; dies naturales uel triginta, sic dicit Arnoldus. Licet Rosarius dicat: Si corporis imperfecti, scilicet terræ, fuerit libra duodecim unciarum, fixatur cum imbibitionibus suis, in nonaginta diebus. Addunt tamen aliqui, donec peragetur, ut dictum est. Intellige hæc de toto tempore imbibitionum albedinis & rubedinis.

Quomodo hæc terra dealbata est in fractura?

Est lucida in aspectu, & nigra in fractura, & proiecta super corpora alterat eodem colore.

Est ne hæc terra ita præparata apta ad fermentandum?

Est.

Quid est fermentatio?

Est huius terræ dealbatæ, id est lapidis nostri (nam iam est lapis factus) animatio. Dicit enim Socrates: Quatuor decoctiones, id est imbibitiones, fiunt successiue, & postea uiuificatur per fermentũ, id est animatur, & iterum coquitur.

Quid est fermentum siue anima?

Est Mercurius corporis, qui inest corpori, & Mercurius uiuus, scilicet noster Mercurius uulgaris purgatus.

Quot fiunt decoctiones post fermentationem?

Tres. Dicit enim: Iungite illum, id est, lapidem aquæ suæ, & coquito lęto calore, & hoc fieri debet, donec liquescat & dealbetur. Post iterum decoquatur, usq; deueniat ad rubedinem, & suauem compositionem. Postea iterum coquitur igne forciori, & hæc est ultima decoctio, in qua figitur & uertitur corpus in spiritum, & tunc habes Arsenicum & sulphur non urens, quo possunt uti Chymistæ, & cum eo facere argentum perfectum.

Ex qua re factus est Laton uel æs, quod cum Mercurio dealbatum est. Cap. LXXIIII.

GRatianus dicit, ex Sole & Luna compositum esse corpus imperfectum citrinum, quod cum dealbaueris & per diuinam decoctionem ad pristinam citrinitatem perduxeris, habes iterum Latonem, eodem modo ductibilem, & ad quantitatem tibi placitam, & tum intrasti per hostium, & habes artis principium, & tunc calcina, dissolue, & incera, & ita procede per medium, & si resuscitatum facis penetrabile, tunc ad finem peruenisti.

Transmutat ne Mercurium hæc terra dealbata, quæ est nigra in fractura? Cap. LXXV.

NOn, sed tantum corpora, & tamen suo colore nondum perfecto. Est enim saltem decoctio prima huius terræ. Ad alias igitur tali modo procedas. Scias totius congelati pondus, id est terræ fixæ dealbatæ, & pone in uitro, & superfunde quartam partem Mercurij ut soluatur, & sigilla uitrū, ut su-

ut ſupra, Hermetis ſigillo, & lento calore exſicca atq; congela, & erit maſſa nigra, aliquantulum clara. Continuetur ergo hæc diſpoſitio dealbationis, poſt eius aquæ imbibitionem, & exſiccationem, & coagulationem, donec fiat maſſa alba perfectæ dealbationis, in igne perſeuerans, fluens, & Mercurium congelans, & perfecte retinens, & tranſmutans quodcunq; corpus metallicum imperfectum, in lunificum uerum. Et ſi uelis Elixir tuum præparatum ſecunda, tertia, & quarta uice uolatizare uel imbibere, tunc ſemper debet fieri cum quarta parte Elixiris Mercurij, attamen ſi maius pondus de ipſa aqua poſueris ſuper ipſum corpus, quâm quartam ſui partem, dum tamen non ſubmergitur, melius erit, & corpus dealbabit, & erit ſubtilius, penetrabilius, & cum maiori pondere conuertit.

Quomodo igitur fit fermentum album.

Cap. LXXVI.

CIba unam partem Lunæ puriſsimæ minutim limatæ, uel ſubtiliter foliatæ, cũ duplo ſui Mercurij bene mundiſsime albi, terendo ſimul fortiter in lapideo mortario, donec Mercurius ebibat ſuam limaturam, & fiat quaſi butirũ, ita quod nihil inueniatur de ipſa limatura. Deinde ablue hoc fermentum fortiter cum aceto forti, & ſale bene præparato, donec acetum inde exeat clarum & bene purum, tunc ablue ſal, cum aqua dulci calida, & aquam ad ignem exſicca. Ab hinc uero ſuperadde ei ſulphuris albi partem unam, terendo in ſimul totum, donec totum redeat in corpus quaſi unum. Deinde incera ipſum, cum una parte aquæ, & mitte ad ſublimandum. Sic eodem modo fit fermentum rubeum cum Sole puriſsimo, ut ſupra.

Potest ne errari post dealbationem terræ?

Cap. LXXVII.

NOn. Quia post dealbationem uterque fugiens, scilicet anima, id est, Mercurius corporis, & spiritus, id est, Mercurius uiuus in non fugientem terram uertunt, & faciunt eam spiritualem, mundam à terrestreitate, aëream & subtilem. Et sic spiritus & anima uero modo non uniuntur cum corpore, nisi in albo colore, quia in ipsa dealbatione, omnes colores in mundo apparent, & tunc firmantur in unum colorem scilicet albedinis.

Quomodo uero cum rubeo faciendum?

Cap. LXXVIII.

EOdem modo faciendum est sicut in dealbando fecisti, nempe, ut tantum ponatur Mercurij per solutionem terræ & exsiccationem sicut in dealbando fecisti, nisi quod calor sit maior. Et scias quantumcunque plus soluitur anima cum spiritu suo non fixo, id est aqua sua, & coagulatur, tanto plus multiplicatur, non solum in quantitate, sed etiam in uirtute, & in proiectione magnum conuertet pondus.

Qualis est modus solutionis?

Cap. LXXIX.

POstquam lapis factus est, ut dictũ, tunc tere in puluerẽ subtilẽ ualde in uno lapide, & in aceto nostro cœlestino dissolue, & statim soluitur in aquam clarissimam quasi fontaneam, Et postquam lapis totaliter est solutus ut dixi, tunc

distilla nostra distillatione, & temperato calore coagula, & ultimo calcina, prima coagulatione, secundum modum suum. Nam in ista solutione, multo plures partes deinde tingit, & hoc est secretum.

Modus figendi qualis. CAP. LXXX.

APta, id est præpara fermentum, id est corpus, ante fermentationem, ita ut sit solutum & calcinatum, id est corpus per argentum uiuum sit solutum & calcinatum, id est argentum uiuum sit ab eo separatum & remotum, & fit calx, aut cinis purissimus. Quoniam si non aptaueris fermentum, nihil ualebit. Et similiter præpara uel apta Sulphur non urens, de calce per sublimationem, ut sit simplex & uiuum, Quia si non miscueris in Elixir non colorabitur corpus, super quod fit proiectio Sulphuris, etsi non mundaueris corpus quod uis miscere in elixir, non diriget corpus spiritum, neq; retinebit eum. Et si non sublimaueris eiusmodi Sulphur, quod uis mittere in elixir, erit aurum & argentum multum obscurũ. Et si non mundaueris spiritum, nõ sustinebit ignem, quia ipse impurus, corpori non coniungeretur per minima. Cum aũt uis cõponere elixir fac calcem de illa materia cuius est corpus, & immitte Sulphur suũ sicut supra dixi. Si est aurũ, de auro, si argentũ de argento. Quoniam nõ est aliud sponsaliciũ, nisi ut cõiungas fermentũ cum suo corpore, de quibus uis facere elixir. Et si de aere est unũ pondus & dimidium, de aqua debẽt esse duo pondera, & de terra tria. Et terræ fermentũ sit ter tantũ, quantũ sit Sulphur albũ, ut si dimidiũ alterũ põdus fuerit de Sulphure albo, tria pondera debẽt esse de fermẽto, & duo de aqua, & erit elixir completum.

LIBER SECVNDVS IANI LACINII COLLECTANEORVM CHYMICORVM.

De coniunctione humidi & sicci ex practica Ioannis Anglici Diaconi.

CAP. I.



Ota veritas huius artis est in coniunctione humidi & sicci, uel in solutione & coagulatione. Inquirendum ergo studiosis atque filijs doctrinæ est assiduè, quid nam sit illud humidum, quod sicco est coniungendum, & è conuerso, quid nam sit illud siccum, quod cum humido sit permiscendum. Item quid nam sit dissoluere, & contrarium eius coagulare. Dicimus igitur quod humidum est spiritus liquidus ab omni sorde mundatus, Siccum uero est corpus calcinatum purum, & re uera coniunctio istorum duorum est penitus in dissoluere & coagulare. Indicata ergo definitione humidi & sicci, necesse est quoque ex promisso dicere descriptionem solutionis & coagulationis. Dicimus igitur, quod dissoluere nihil aliud est, quàm corpus in naturam spiritus conuertere, Coagulare uero, est spiritum uiceuersa efficere corporalem, ut compleatur dictum Philosophi dicentis: Fac fixum uolatile, & uolatile fixum. Quæ iam dicta dissolutio, nunquam fieri potest absque elementorum conuersione & transmutatione, Et scias quod quattuor elementa sunt

ta sunt in esse, & duo in apparentia, quæ uidentur & tanguntur. Et lapis componitur ex corpore & spiritu, id est, Sole & Luna & argento uiuo, quod est medium inter hæc duo, aperiens naturas eorum seratas atque resoluens, propter ingressum unius naturæ in aliam. Et certum est quod in illis corporibus plus abundat ignis, & terra, quæ sunt elementa habentia naturam purgandi, & standi, siue permanendi. Ignis enim purgat, & terra stat tanquam materia fixa, quam aer & aqua, quæ duo habent naturam ingrediendi & lauandi. Elementum enim aëris, habet naturam ingredientem, aquæ uero lauantem. Et notandum amplius quod in Sole præ cæteris elementis dominatur Ignis, In corpore uero Lunari terra, In spiritu uero lapidis nostri, dominantur præ cæteris elementis, aër & aqua, quamuis tamen aqua superabundat aërem, ideo spiritus non potest ex sua propria uirtute in ignis asperitate quiescere, quoniam aqua semper contrariatur igni, ut satis notorium est. Impossibile igitur est ex solo spiritu medicinam tingentem, permanentem, & ingredientem procreari posse, Quod ex alia parte, in corpore scilicet, etiam existimandum, quod itidem è conuerso ex solo corpore absque spiritu, nulla medicina posit procreari. Qualitercunque enim spiritus per se præpararetur, tum non potest à sua natura alterari, uel ad permanentiam deduci absque materia aliqua fixa, necesse est ergo quod corpus fixum adsit, quod intermediat. Et qualitercunque etiam corpus præpararetur, non posit fluxibilitatem aliquam sua propria uirtute acquirere. Cum itaque necessario requiratur medicinam esse fluxibilem, quod nunquam continget absque coniunctione spiritus, itaque dicta necessitate impulsi, necesse est nos spiritũ addere,

Quoniam

Quoniam per eorum coniunctionem suppletur defectus elementorum tam ex parte corporis, quàm ex parte spiritus, & sic efficitur corpus spirituale, & spiritus corporalis, Et ideo necesse est scire artificem transmutationem elementorum, scilicet aquæ, aeris, ignis & terræ, & eorum naturas, actiones, & passiones, considerare. Aqua enim est frigida & humida, Terra frigida & sicca, Aer calidus & humidus, Ignis calidus & siccus, Et unum quodque istorum generum genus, locum habet in aliud, quamuis omnia sint contraria, & quodlibet contrarietur cum quolibet, in parte, uel in toto. Terra namque locum habet in aqua, & aqua rursum in terra, & conueniunt in uno genere, in humiditate & siccitate. Quia terra frigida & sicca, Aqua uero frigida & humida, Sed disconueniunt in alijs generibus. Sic ignis non habet locum nisi in aere, & è contra aër nō habet locum nisi in igne. Et sic ista elementa tantum conueniunt in caliditate, & dicta duo in frigiditate. Disconueniunt autem in siccitate & humiditate. Quoniam aër est calidus & humidus, Ignis uero calidus & siccus. Igitur uerisimile uidetur, quod dicit Morienes, quod terra uiuit de aqua, & ignis uiuit de aëre. Et quoniam uidetur aquam participare cum terra in uno genere, scilicet in frigiditate, & cum aëre ex alio latere, scilicet in humiditate, ergo patet quòd aqua intermediat aërem & terram. Videtur etiam aër participare cum aqua in humiditate & cum igne in caliditate, Ergo aër intermediat terram & ignem. Videtur etiā ignem participare cum aëre in caliditate & cum terra in siccitate, Ergo ignis intermediat aërem & terram. Etiam terram uidemus participare cum igne in siccitate, & cum aqua in frigiditate, ergo terra intermediat ignem & aquam, Et sic patet, quod unum

elementum

elementum intermediat aliud, & quod nullum elementum potest in naturam alterius conuerti, quod est suum contrarium, nisi prius conuertatur in elementum intermedians ipsum, & contrarium. Exempli gratia: Si quis uult de aqua facere ignem ascendendo, quod elementũ est sibi contrarium, quia est frigidum & humidũ, ignis uero calidus & siccus, oportet ergo aquã prius effici aërem, quod est elementũ intermedians aquam & ignem. Deinde quod frigiditas aquæ, conuertatur in calorem seu caliditatem, & tunc aqua cõuertitur in aërem, quod est elementum intermedians aquam & ignẽ. Quoniã quàm cito frigiditas aquę conuertitur in aërẽ, & humiditas aquę cõuertitur in siccitatẽ, tunc aqua cõuertitur in elementũ sibi contrarium, quod est ignis. Et sic oportet fieri, si quis de igne uoluerit facere aquam descendendo, quod caliditas ignis, conuertatur in frigiditatem aquę, tunc ignis efficitur terra, quod est elementũ intermedians ignem & aquam, ex alio uero latere descendendo, oportet tunc siccitatem ignis conuerti in humiditatem aquæ, & sic transibit elementum ignis, in elementũ aquæ, quod est sibi contrariũ. Et si quis uult terram in aërem conuertere ascendendo, uel aërem in terram descendendo, oportet quod terra prius fiat aqua ascendendo, & aër efficiatur ignis descendendo, & sic per elementi potestatem intermediantis unumquodq; genus elementale mutari potest in aliud, & sic potest intelligi de alijs &c. Recipe ergo de spiritu mundato ut scis, per sublimationis modum partem ut scis, & de corpore calcinato, partem quoq; ut sci, amalgama triturando super lapide, & in balneo maris decoque, de tempore in tempus frequentando, donec dicta limatura, quæ est substantia corporis, in spiritum conuersa fuerit. Et ecce, si uelis diligenter considera-

re, patebit quod ibi est transmutatio duorum elementorum quoniam in exordio dictum quod duo elementa in corpore dominantur, scilicet ignis & terra, & dixi quod in spiritu dominantur alia duo, scilicet aër & aqua, modo uideatis quomodo per artem corpus efficitur spiritus. Et sic patet, quod natura ignis & terræ, quæ dominantur in corpore, subiungantur dominationi aëris & aquæ, quæ quidem dominantur in spiritu. Et sic perficitur prima transmutatio duorum elementorum, quæ abundant in corpore. Demum per frequentem triturationem, & sub fimo equino putrefactionem id amalgama de octauo die in octauum ponendo & triturando, donec tota materia fuerit conuersa in puluerem nigrum, qui in odore est fœtidus, & sic obtinebis transmutationem aliorum duorum elementorum, quæ abundant in spiritu, in naturam illorum elementorum, quæ abundant in corpore. Quoniam frigiditas & humiditas abundantes in spiritu mutantur in caliditatem & siccitatem abundantem in corpore, & fit corporeum spirituale, & è contra spirituale corporeum, ita quod ab igne separari non possunt. Sed oportet illam unionem fieri mediante fermentatione corporis præparati, sicut quamplures in libris Philosophorum satis reperiuntur ueraces, quamuis sparsim sint insertæ. Et hæc est uera humidi & sicci coniunctio.

De triplici Lapide. *Cap.* II.

CVm aurum inter cœtera metalla omnia preciosius sit, & tinctura rubedinis, quæ figit & transformat omne corpus imperfectum in perfectum & perfectissimum, sic etiam cum ipso, & per ipsum, figuntur omnes spiritus, si cum illo

illo cõmiscentur. Eiusdẽ naturę est Luna, quæ dicitur tinctura alcedinis. Nã hæc duo corpora habẽt radicem incorruptibilem ab igne nõ fugientem, ideo ex illis extrahitur tinctura fixa. Nam in eis existit sulphur fixum. Item Mercurius fixus, per naturalem actionem & rectificationem. Quare non est aliud fundamentum artis, quàm illud, quod est in Sole, & umbra eius, id est Luna, ex his enim sapientes præparant lapidem illorum. Sunt autem tres lapides, ex quibus fit tinctura, scilicet Solaris, Lunaris, & Mercurialis, id est Azoth. Azoth autem non est argentum uiuum ex minera tractum simpliciter, sed est illud quod à corporibus dissolutis per argentum uiuum, abstractum est, quod tandem dicitur spiritus animatus, & aqua nostra, quæ habet potentiam soluendi omnia corpora & calces eorum. Hæc aqua quoq; dicitur Vrina puerorum, acetum uini, acetum acerrimum, aqua perhennis, & alia habens infinita nomina, propter insipientes, ut non intelligant. Hæc eadem aqua est fons & origo omnium metallorum, & est medium coniungendi tincturas de extremo ad extremum. Cum hac enim aqua opus nostrum præparatur in principio, medio & fine.

De aqua Mercuriali.

Cap. III.

Recipe ergo Mercurij sublimati marcas tres, & unam marcam Salis ammoniaci, hæc duo simul sublimentur ter uel quater, donec uideris materiam stantem in fluxu, in fundo uasis, demum ab igne depone, & inuenies materiam durã, quam cõtere ut fiat puluis sine tactu, postea incera mul totiens cũ aqua Salis ammoniaci, imbibendo, & exsiccando,

& pone tandem ſuper lapidem in loco humido, uel in uitro, in balneo maris, & ſoluetur in aquam, quæ dicitur aqua Mercurij. Demum recipe unam marcam Solis quoad rubeum, & unam marcam Lunæ, quoad album & calcina bene, demum pone calcem ad dictam aquam, & ſtatim ſoluitur in aquam, hanc tandem purifica per diſtillationem. Hæc enim aqua dicitur fons Philoſophorum, & oleum quod figit ſpiritus. Et cum hac aqua præparatur lapis in principio, medio, & fine, & omnis tinctura cum ea multiplicatur, ut ante dictum eſt.

De ſublimatione Mercurij. Cap. IIII.

RECIPE ſalis nitri, uitrioli, aluminis, ſalis ammoniaci, & ſalis communis omnium ana libram unam, impaſta de Mercurio quantum recipere poteſt, & pone in fornacem in uas terreum, amplum, deuitreatum, habens ſuperius reſpiraculum, & da illi primo ignem lentũ, ſecundo fortiorem, tertio fortiſsimũ, ita quod tota humiditas recedat. Tandem aperi uas, & inuenies Mercurium iacere in ſuperfitie, ſicut niuem, hunc rurſum impaſtabis cum ſuis fœcibus, & ſublima totiens quouſq; inuenies Mercurium nitidiſsimum, & optime purgatum, hunc adiunge corporibus, & inuenies quod optas. NOTA. Iſta eſt noſtra ſublimatio, per quam ſeparantur partes ſubtiles à groſsis, cum igne lento. Non ſicut multi ſublimant Mercurium cum uitriolo igne uehementi, ubi aſcenderunt partes ſubtiles cum partibus groſsis, talis ſublimatio non eſt Philoſophorum, nec conueniens ad opus perfectum. Nam hi poſt ſublimationem magis inueniunt de MERCVRIO in pondere, quàm quod primo impaſta-

impastauerunt. Ratio est illa, quia per uehementiam eiusmodi ignis, partes subtiles se permiscent cum partibus grossis & simul ascendunt, quæ tandem opus impediunt totum. Ideo talis sublimatio non ualet, opus enim nostrum cum partibus leuioribus atq; subtilibus perficitur, grossas inferius per separationem uel sublimationem talem relinquendo.

De præparatione corporum in forma minori.

CAP. V.

RECIPE laminas tenues corporis perfecti, pone in cucurbitam, & superfunde aquam fortem, id est aquam nostram intelligenti notam, & dissolue in lento igne, post distilla per alembicum, tam diu donec tota corporis natura fiat uolatilis, deinde permitte stare in putrefactione ad septem dies, postea pone super furnum & distilla ab eo totam aquam cum lento igne, & materia in fundo residebit sicca, aquam uero serua. Huic corpori sicco, da de Mercurio sublimato pondus æquale, & aquam seruatam, funde desuper, & super furnum loca, & da illi ignem feruentẽ, & statim nigredo apparebit. Deinde rege usq; ad albedinem, ultimo usq; rubedo intensiua apparuerit, & sic opus perfectum erit, ut tincturam recipiat æternam.

De secundo modo operationis in forma maiori.

CAP. VI.

RECIPE de Sole quatuor partes, & de Luna partes tres, & calcina sicut nosti. Tunc calces illas sublima, tribus

uicibus, & quicquid ascendit iterum pone ad illud quod remansit, post sublimationem solue in aceto distillato in balneo, & distilla per filtrum, etsi quid insolutum fuerit, iterum calcina, & solue, cum sale ammoniaco in balneo, & distilla per filtrum, & reitera sublimationem, calcinationem, & solutionem, donec corpus totaliter soluatur. Et hoc idem repete septies, post coagula materiam tuam, acetum uero lento igne fac euaporare, & exsicca corpus tuum in fundo, & adiunge huic corpori tantum de Mercurio sublimato, & sublima simul in uitro donec figatur, ascensiones & descensiones faciendo, postea solue cum aceto nostro clarissimo, seu aqua nostra diuina, semper soluendo & coagulando, donec totam aquam bibat, & habebis lapidem cuius una pars tingit centum partes Lunæ, in uerum Solem, & si ulterius solueris & coagulaueris, erit tinctura, cuius una pars mille partes Lunæ in Solem tingit.

De tertio modo in forma superlatiui gradus.

CAP. VII.

RÉcipe de Sole quatuor partes, & de Luna partes tres, & calcina in aqua forti, uel sicut scis, Calcinata sublima cum tantundem salis ammoniaci, post solue in aceto distillato, uel in aqua uitæ, et si quid insolutum fuerit, illud iterum sublima cũ sale ammoniaco, & iterum solue in aceto distillato, et distilla per filtrum & coagula, & iterum sublima & solue, donec totaliter soluatur. Et hoc idem repete quater, uel septies, semper calcinando, sublimando, soluendo, in humido coagulando & acetum euaporando, tunc corpus in spiritualem materiam reduxisti. Demum accipe illum lapidem

pidem calcinatum, & in spiritum conuersum, & adiunge illi tantundem de Mercurio sublimato puro, & incorpora hæc duo simul, & imbibe cum aqua nostra diuina, quantum ad impastationem eius sufficit, quod est duplum uel triplum sui, & coque igne lento donec fiat corpus unum. Non ergo tædeat te multociens reiterare, quia nisi corpus sit Mercurio incorporatum, non ascendit sursum, ergo necesse est ut naturam eius subtilies, & cum Mercurio fortiter pistes, quousque fiant unum. Hoc facto, pone in Alludel terreum, cuius latera sint bene deuitreata, quia aliud uas, tam fortē ignem non posit sustinere, & sublima Alembico superposito, iuncturis undique bene clausis. Nam Mercurius sublimatur per fumositatem aëris, quare si locum inuenerit aptum, euolat, & dispergitur magisterium. Et pone in tripide in furno sublimationis per excellentissimum ignis gradum quousque fixum cum non fixo leuetur totaliter, quod collige & serua. si autem in fundo aliquid remansit incorpora Mercurio iterum, & aqua nostra, quousque ad totalem eleuationem sufficiat, aliqui si non ascenderit non ponas ipsum in magisterium, quia necessario requiritur ut lapis fiat uolatilis & spiritualis, alias si millies laborares nihil perficeres, quare tam diu reitera sublimationem & incorporationem Mercurij, quousque fex nigra & fœculenta in fundo remanebit, quæ est abijcienda. Cum uero leuata fuerit, reiteretur eius sublimatio, quousque iterato figatur, totum deorsum, tunc fixum calcina, & iterum cum sale ammoniaco sublima, & solue in aceto distillato, in humido & calido, & hoc idem repete septies. Et ita tociens fiat fixum uolatile, & uolatile fixum, & fixum solutum, &c. quousque lapis fiat fluxibilis, fusionem præstans, facilemque ingressum habens. Et nota in quantum

alleuias

alleuias corpus tuum, in tantum erit melius, ita ut una pars cadat super centum partes imperfectiorum, & etiam super mille secundum bonitatem præparationis. Et quicquid extrahitur, dicitur quinta essentia, & Mercurius Philosophorum, qui amicabiliter in igne manet, gaudens in eo. Et hæc est res quam Chymistæ possunt recipere in opere eorum. Pone igitur hanc rem in phialam cæcam ad exsiccandum, super ignem cinerum lentissimum, ad octo dies. Tunc recipe iterũ materiam tuã & pone in phialam, & quartã aut tertiam partem aquæ nostræ superfunde, & pone ad soluendum in balneo maris, solutum distilla, aquam abstrahendo, & reddendo, donec totam aquã bibat. Tunc iterum tere terram tuam, & pone in cucurbitam, ut prius, cum quarta parte aquæ nostræ imbibendo & soluendo in humido, ut prius, post hoc abstrahe aquam ad terram reducendo. Dictas uero imbibitiones & solutiones & coagulationes reitera, quousq; totam aquam bibat, & donec liquescat ut cæra, & fiat alba & perspicua ad modũ cristalli. Tunc ibidem apparebunt omnes colores qui in mundo sunt. Primo erit nigredo, deinde apparebit color quidam cineritius seu pallidus, porro uiridis & flauus, ultimo albus. Cum uero color non amplius uariatur, tunc est signum perfectionis, ultimo detur ignis fortis, per diem integrum, quousq; materia fluat ut cęra, tunc est medicina uera, rectificans & uiuificans omnia corpora in Solem uel Lunam, secundum quod fuerit medicina præparata. Et diligenter notandum quod Mercurius uulgi dicitur spiritus, Mercurius autem corporis dicitur anima, & quod spiritus non coniungatur corpori nisi mediante anima, & è conuerso quod anima non coniungatur corpori, nisi mediante spiritu, ut sit unum cum eo, & homogeneon

sicut

ſicut ſuus ſpiritus, tũc enim cum in tantum ſubtilientur, ſunt commiſcibilia per minima, & quod primo recipiat naturam fermenti, & uirtutem tingendi. Spiritus uero non coniungitur corporibus, niſi à ſuis immunditijs perfecte fuerit mundatus, id eſt, donec tota ſubſtantia media Mercurij & ſulphuris corporis, fuerit à ſuis immunditijs perfecte mũdata. Vel horum coniunctio non erit poſsibilis, niſi prius ſpirituales fiant, id eſt per mutationem utriuſq; à ſua natura uel uirtute, & proprietate per conuerſionem ſuarum naturarum, tũc enim coniunguntur coniectione omnimoda, & tunc ſic purgati debẽt cõiungi corporibus, id eſt ſpiritus illi purgati, debent demum coniungi cum fermento, mediante aqua, quæ facit matrimonium coniunctionem ſeu unionem.

Sequitur augmentatio Medicinæ.
Cap. VIII.

RЕcipe de Mercurio ſublimato, quantum eſt de lapide Philoſophico, & contere bene in lapide, & pone in uas fixionis, per tres dies & noctes, in igne fixationis, tunc res non fixa deuoratur à re fixa, per ignis combuſtionem.

Alius modus augmentandi.

Recipe de lapide unam partem, de Mercurio loto & purgato quatuor partes, ponantur in cucurbita uitrea, & da illi ignem ſublimationis per tres horas, & congelabitur in maſſam frangibilem ad modum malagmatis, cuius maſſa una pars poſita ſuper decem partes Mercurij, congelat ipſum in maſſam frangibilem, & erit medicina congelans, ut prius Mercurium, & per hunc modum potes in infinitum augmentare.

De ſublimatione, cur nam fiat ſublimatio in hoc opere.
Cap. IX.

EA de cauſa fit ſublimatio ſpirituum & corporum, ut ſegregatis partibus puriſsimis & leuioribus à fœcibus groſſorum elementorum uirtutem quintæ eſſentiæ poſsideant, formantem ſcilicet ad ſpeciem perfectam, uel ut extrahatur anima tingens, id eſt unctuoſitas Arſenici, & ut uertatur in ſpiritũ penetrabilem. Dico uero talem quintã eſſentiam & animam tingentem, quæ habet naturam colorantẽ, & formam puram inducentẽ, ad quam extrahendam ualde neceſſaria fuit inuentio ſublimationis, & ſubtiliationis, per eam nempe extrahitur, ut dictum eſt unctuoſitas Arſenici, ſiue natura oleaginoſa puriſsima & incombuſtibilis unctuoſitatis, quæ ligata & cõmixta eſt, cum fœcibus & groſsioribus partibus elementarijs. Cum uero corpora ſint grauia & ponderoſa, ut ſupra dictum eſt, & ſublimare ea oporteat, requiritur neceſſario, ut cum Mercurio incorporentur & ſubtilientur, in tantùm ut ad argenteitatem uiuam reducãtur & coquantur ſimul, donec ex eis, ſcilicet Mercurio & corpore, fiat una materia, nec tędeat te hoc multotiẽs reiterare, ut omnes Philoſophi hortantur. Quia niſi Mercurius fuerit corpori incorporatus, nõ aſcendere poteſt. Incorporatio uero talis eſt impoſsibilis, niſi in Mercurio ante diſſoluantur in Mercurium. Ergo recipe aquam primam ab omni corruptione ſegregatam, in qua coque rem ſuo nomine nominatam, & accipiendam, per quadraginta dies, in uaſe ſuo, & inuenies corpus conuerſum in Mercurium, & in tali diſſolutione uidebis nigredinem ſupereminentem, quæ eſt ſignum perfectæ diſſolutionis, quæ ſublimatione priuanda eſt, ita ut reducatur in naturam ſublimem carentem ſua umbra, quæ eſt terræ fœcu

lentia grossa, cū adustione. Ergo ipsum corpus quanto magis poteris subtilia cum Mercurio mundo, scilicet coquēdo. Cum uero uideris quod corpus aliquā partem Mercurij in se hauserit, & concluserit, tūc igne cito ipsum subtilia, & fortiori quo poteris, donec ascēdit in similitudine albissimi pulueris, ad modū niuis, spōdilibus alludelis. Cinis uero in fundo manens, est fex & scoria corporū, uituperata & abijciēda, in qua nihil uitæ habetur, quia est puluis leuissimus, qui modica sufflatione euanescit, quoniā non est nisi sulphur prauum à natura exclusum. Tunc abiectis fœcibus itera per se sublimationē albissimi pulueris, sine fœcibus suis donec figatur, & quousq; nō permittat aliquas fœces, sed ascēdat purissima ad modum niuis, quę est nostra pura quinta essentia, & tunc habes animam tingentem, & coagulantem, & mundificantem, sulphur & arsenicum non urens, quo possunt uti Chymistæ ad formandum argentum. In Solari autem materia licet quædam pars albissima ascendat, tamen in fundo remanet ignis tinctus rubore in modum scharleti, & illud sulphur conuertit argenrum uiuum in Solem purissimum & uerissimum. Hæc est perfectissima compositio sulphuris albi & rubei, non urentis, secundum sententiam omnium Philosophorum. Nihil enim in his dictis superflui uel diminuti inuenies, sed quæ Philosophica ueritas continet. Item si cum calcibus horum duorum luminarium, scilicet Solis & Lunæ, sublimaueris Mercurium, tunc utiliter sublimabis, & mundas cum facilitate, in illis enim est facilis illarum sublimatio per generationem, & collige tantum illud solum sublimatū, quia hoc non est fixum, sed quod in medio consistit. Alludelis supra fœces, quia illa est subtilis media substantia Mercurij, ex qua nostra conficitur medicina, quæ ex materia

argenti uiui ducit originem, quæsitum bonum, terra alba foliata, arsenicum & sulphur album, prima materia metallorum. Hæc Raymundus. Hanc autem sublimationem facimus, ut corpora reducamus in naturam subtilem, ut sint sicut spiritus, penetrantia & redigentia in Solificum & Lunificum uerũ, uel ut ea reducamus in primam materiã, scilicet Mercuriũ & sulphur, & ut eorũ fiat firmissima incorporatio, & etiã ut assumat uerũ colorem albedinis & rubedinis, quia color sine sublimatione fieri non potest. Et non misceas illud quod remanet in fundo, cum eo quod ascendat, sed seorsum unumquodq; eorum ponas, Si uero in fundo aliquid de materia ualente remansit, iterabis ad sublimandum per Mercurium sibi incorporatum, donec totum ascenderit, quicquid est de pura illorum essentia, scilicet corporum. Quia si sic non feceris, ipsum in magisteriũ non ponas. Alembicum uero, quod sublimatorio apponitur, sit uitreum, bono luto circumlinitum, quod debet coniungi cum subiecto, ita ut Mercurius nõ possit exhalare finaliter, quia Mercurius ut notum est expertis, sublimatur per fumositatẽ aëream, deferẽs secum partes corporis puriores. Et ideo terra tunc in aërem, & corpus in spiritũ conuertitur, & densitas in raritatẽ, finaliter in modũ aëris ascendunt, sic quod recipiunt uirtutem fortiter, & in profundum penetrandi, ratione perfectæ tincturæ & colorationis. Quæ media substantia, uel quinta essentia, aut anima tingens, figenda est super corpus suũ album fixum, et mundatum, hoc est supra argentum, et sulphur rubeum, super corpus rubeum, id est, Solem, si in Elixir perfectum dictam substantiam perficere cupis, ut dicit Pithagoras. Quod argentum uiuum à corporibus dissolutione, subtiliatione, et sublimatione extractum, nõ coagulatum super

Sulphur

Sulphur suum album uel rubeum, ut sit fixum, nullam habeat uiam ad albedinem & rubedinem. Quoniam sine fermento, non poterit neq; Sol neq; Luna esse, & non aliud est fermentum nisi Sol & Luna. Cum autem Sulphur prædictum coniunctum fuerit suo corpori purgato, non deficit in id agere, ipsum totaliter penetrando, quousq; totum conuertat in suam naturam. Ideo quando uis fermentare, misce corpus sublimatum cum suo corpore purgato, ut totum fiat fermentum, quoniam fermentum reducit Sulphur in suam naturam, colorem, & saporem. Si autem Sulphur non fuerit sublimatum, substantiam ingredientẽ & penetrantem non habebit, & per consequens ad componendum uerum elixir non habebit uirtutem, quia in sua densitate & corporalitate permanens, non miscebitur rebus tingendo, nec eas poterit in formam perfecti metalli transmutare, Sed cum corpus mundatum fuerit, & cum spiritu incorporatum, sublimatione ascendit, tunc ambo facta sunt uapor unctuosus, urentibus substantijs spoliatus, aër subtilis, clauis nimiæ penetrationis, anima à uicijs & inquinamentis liberata, quia iuncta suo corpori mundato, mediante spiritu, id est aqua Mercuriali purificata, transit in ens purissimum & incorruptibile. Corpus itaq; ante fermentationem per argentum uiuum sit solutum & argentum uiuum ab eo abstractum ut remaneat calx aut cinis purissimus. Similiter præpara Sulphur non urens de calce per dictam sublimationem, ut sit simplex & uiuum. Cum ergo uis componere elixir, fac calcem de illa materia cuius est corpus, & immitte Sulphur suum sicut supra dictum est, si est aurum de auro, si argentum de argento. Quoniam non est aliud sponsalitium, nisi ut coniungas fermentum cum suo corpore, de quibus uis facere elixir, sed

quia Sulphura non possunt corpora ingredi, nisi mediante aqua, scilicet Mercurio, cum sit medium coniungendi tincturas, id est Sulphur & fermentum, ideo primo ponas calcem corporis, seu fermenti, secundo ponas aquam, id est, spiritum, tertio ponas aërem, id est animam siue Sulphur à corporibus per dictam solutionem, subtiliationem, & sublimationem extractum. Itaq; cum uis coniungere elementa scilicet aquam, et aërem, ut figantur in terra (si est ad album) semper terra debet abundare, alioquin terra non figeret spiritum, immo secum euolaret, si ergo de aëre est unum pondus cum dimidio, requiruntur duo pondera aquæ, & tria terræ, Et fermentum sit ter tantum, quantum Sulphur album ponderat, & erit siue euadet in elixir completum album. In elixire uero Solari, requiruntur duo pondera terræ, tria de aëre, tria de aqua, unum pondus & medium de igne. Nam pondus ignis est medium pondus aquæ, &c.

IANI LACINII COLLECTANEORVM CHYMICORVM, LIBER TERTIVS.

Quæ sit materia lapidis. CAP. I.



SEcundum ſententiam quam ponit Geber, pollens ingenio mirabili et ſubtili, in Summa ſua, tractatu de eſſentia, & procreatione metallorum, dicimus, quòd cum metalla materialiter compoſita ſint ex Sulphure & Mercurio, quamuis Sulphur ſit loco agentis potius quàm loco materiæ, tunc ex eorum diuerſitate adinuicem in eorum commixtione & digeſtione, diuerſitates plurimas contingere neceſſe eſt. Hæc autem diuerſitas potius eſt ex parte Sulphuris, quàm Mercurij, quia reperitur album, liuidum, rubeum, croceum, uiride, nigrum. Omne autem argentũ uiuum, omni argento uiuo eſt ſimile, quantum eſt de ſe, quia ſemper eſt album, lucidum, liquidum, non adhærens tangenti, grauiſsimum. Nunquam enim repertum eſt argentum uiuum alterius coloris, uel conditionis. Si autem metalla reciperent diuerſitatem in ſubſtantia, & colore, ratione Mercurij in ſuis mineris, tunc hanc eandem diuerſitatem in argento uiuo uulgari quoq; feciſſet, ſicut in Sulphure uulgi, hoc autem nuſquam uiſum eſt, quia ſi aliqua terreitas liuida aut nigra in ipſo reperiatur, contingit ex admixtione alicuius ſubſtantiæ plumbeæ, aut ſibi ſimilis, propterea Sophiſtice quidam argentum uiuum fraudantes, decimam partem ei admiſcent,

admiſcent, quod per ablutiones & expreſsiones acres, abluitur & ſeparatur. Poteſt autem Sulphur cum ſit proprium coagulum argenti uiui, eſſe diuerſi coloris, & fixum uel uolatile, parum uel multum, aut æquale. Sed argentum uiuum cum ſemper ſit album & albedo ſit elementum & fundamentum omnium colorum, in quo omnes uariantur colores, ideo argentum uiuum recipit à Sulphure omnem diuerſitatem colorum. Et ex hoc omne metallum diuerſo colore coloratur, & generantur alia diuerſa, ut eſt, Marchaſita, Magneſia, Anthimonium, & Tutia. Poteſt ſimiliter argentum uiuum fixum eſſe, uel uolatile, parum uel multum aut æquale. Similiter etiam ex parte mineræ, poteſt omnis diuerſitas eſſe, quia munda uel immunda ſiue corrupta, & caloris exaſperantis uel temperati ſecundum magis & minus. Ex iis ergo arguimus unumquodq; metallorum ſecundum adhærentiam Sulphuris exterioris & argenti uiui ad ipſum, facilem uel difficilem participare parum aut multum de utriusq; illorum ſubſtantia, à ſolo unius ipſorum, quia nihil aliud adhæret metallis niſi Sulphur & Mercurius, quæ ſunt ex ipſis, cum ſint eiuſdem naturæ, niſi forte laborioſè ualde. Dico autem adhærentiam, quæ eſt per mixtionem, propter conuenientiam in ſubiecto, quia omnis mixtio fit ratione ſimilitudinis (iuxta illud: Simile ſimili gaudet) quæ acquiritur in digeſtione à natura, quamuis prius fuerint diuerſa, proptera metallum cum metallo, & uitrum cum uitro, & ſibi ſimilibus miſcentur, hoc autem non cum alio niſi forte laborioſe. Secundum hunc ergo gradum iudicandum eſt in metallis, per eorum cum eis adinuicem mixtionem, de hoc eſſe plus uel minus, uel unum ſolum ſecundum ſenſum, cum illa duo ſint principia metallorũ. Sunt enim hæc perfecta principia,

ex quibus

ex quibus sunt hæc, ut dicit Philosophus quarto Methaphisicæ. Vnde idem quarto Metheororum in fine, capitulo de corporibus mineralibus dicit sic: Et ideo miscetur argentum uiuum cum istis corporibus, quia est de illorum substantia &c. Et reticuit de sulphure, quia non sic uidetur de illorum substantia esse.

Quod sulphur fixum tardat fusionem metallorum.
Cap. II.

SAtis manifeste ex eo probari potest sulphur fixum, esse causam difficilis liquefactionis metallorũ, aut etiam nullius. Quia cum uolumus facere Sulphur fixũ, necesse est illud antea calcinare, & cum calcinatum est, nullã plane dat fusionem. Propterea ubi eius quantitas multum superat quantitatem argenti uiui, difficilis aut nulla plane reperitur fusio, uel liquefactio. Quia ergo in ære eius quantitas non superat quantitatem argenti uiui, sed quasi æquatur, ideo solum tardat fusionem illius, ita quod difficile liquescat. Sed quia in ferro quantitas eius multum superat quantitatem argenti uiui, & illud inquinat, impedit fusionem ferri, ideo ferrum non funditur ergo ubicũq; ponatur, illã de se impediet. Sulphur aũt non fixum accelerat fusionem, cuius signum est, quia Arsenicum quod est de natura Sulphuris, ferrum ignitũ fundit. Quod autem Arsenicum sit de natura sulphuris, dicit Geber & Chymistæ omnes, & experientia hoc quoq; demonstrat. Quia fossores minerarũ cum examinant argentũ uel æs ad ignem, ut ea purificent ab immunditijs, tunc ascendit fumus sulphureus citrinus in odore sulphuris, qui si colligatur seorsum, & in uase sublimationis ponatur, ascendit & adhæret

spondilibus uasis, in substantia realgaris. Et est omnino idem realgar cum eo, quod fit de auripigmento de sua minera extracto, hanc experientiam manibus proprijs fecimus, & oculis nostris uidimus. Quia ergo in illis mineris inuenitur sic substantia auripigmenti mixta, ideo iudicamus ipsum ex hoc, & odore, & sui substantia habere materiam sulphuris. Et ex prædictis iudicamus in ære esse utrumque sulphur, quia funditur, sed cum difficultate. Similiter dicimus, quod sulphur fixum est causa duriciei metallorum, sicut patet in ære, & ferro, & est etiam causa fixionis eorundem, ut patet in eisdem, & etiam causa ignitionis, ut quoque in eis patet. Sed sulphur non fixum, est causa fusionis sine ignitione, & causa molliciei, & causa uolandi ab igne, sicut patet in Saturno & Ioue. Argentum autem uiuum, siue fixum, siue non fixum, est causa metallicæ fusionis &c. & causa ignitionis cum liquefactione, ut patet in ære, auro, & argento. Funderetur etiam ferrum ratione sui argenti uiui fixi, quod habet, sed sulphur fixum, quod in eo continetur nimium superat, & impedit. Non fixum autem est causa molliciei & uolatilitatis ab igne, & fusionis sine ignitione, sicut ante dictum est de Saturno & Ioue. Ista enim ambo corpora semidigesta sunt, & per coagulationem, modicum remota á natura argenti uiui. Ex quibus patet, quod quæcunque corpora tarde funduntur, cito coagulantur, & è conuerso, quæ cito funduntur, tardè coagulantur.

De facili & difficili adhærentia sulphuris & argenti uiui. Cap. III.

DE adhærentia uero ipsorum ad metalla iudicamus esse per sensum, sulphur enim facile adhæret ferro, & æri, combu-

comburendo ipsa. Commiscetur autem argento facile, quia habet partes aliquas sulphuris adurentis, id est, non fixi sibi commixtas, quæ per artificium facile separantur. Plumbo autem commiscetur facile, quia multas habet partes sulphuris non fixi sibi commixtas. Stanno autem non facile, propter multitudinem Mercurij superantem quantitatem sulphuris, & quia suum sulphur est occultum profundum. Sed auro nullo modo adhæret nec ingreditur ipsum, quia non conueniunt, sed sunt naturæ diuersæ. Sed argentum uiuum facilime cum auro commiscetur, propter similitudinem in substantia, post aurum autem argento, post argentum uero stanno, & plumbo, & hoc propter argentum uiuum indigestum in eis, & ideo tam cito funduntur, imo quasi facilius adhæret eis propter hoc. Post ipsa autem æs, cum difficultate recipit ipsum, propter nimium sulphur eius, ultimo autem ferrum, imo ferro non nisi per artificium adhærebit. Et iterum adhæret plumbo magis, propter indigestionem, quàm propter quantitatis argenti uiui multitudinem. Habet enim Saturnus multum de Sulphure, sicut in sui resolutione patet per fumum. Stanno autem propter utrumque adhæret, scilicet propter indigestionem, & propter multitudinẽ argenti uiui. Sed argento propter multitudinẽ argenti uiui bene digesti, & sui perfectionem. Aeri autẽ difficulter propter multitudinem sui sulphuris sordidi & fixi, & non fixi. Ferro autem difficillime, scilicet non nisi per artem, propter paucitatem argenti uiui, & magnam copiam sulphuris fixi, & sordidi & terrei. Ideo terra (dico terra de minera lapidum) conglutinat duo ferra candentia per malleationem propter similitudinem. Sed auro secundum totum maxime adhæret, propter maximam copiam argenti

uiui, quæ est in ipso, & sui ultimam perfectionem & complementum intentum à natura, immò ipsum totum est argentum uiuum absq; sulphure extrinseco.

Ex habitis igitur expresse colligere potes, quod argentum uiuum fixum subtile, est totalis causa perfectionis, & ipsum non fixum est diminuens à perfectione, & diminutum. Sulphur autem siue fixum siue uolatile, corruptionis est causa, & imperfectionis, dum remanet in metallo. Ergo hunc uenerabilem lapidem ex solo argento uiuo sine alicuius sulphuris extrinseci commixtione colligere necesse est. Substantia enim auri hoc ad sensum indicat, quod nihil in mundo inuentum est amicabilius, & similius, & mixtibilius, & unibilius ei, quàm ipsum tam absq; conflatione, quàm cum conflatione. Propterea dicit Geber capitulo de Natura argenti uiui, quod absq; illo, nullum metallum deaurari potest. Sulphur autem in ijs omnibus penitus ab auro est dissimile. Veridicè ergo patet, quanta conformitas, quanta similitudo, & quanta idenditas sit argenti uiui, ad unumquodq; metallorum, & è conuerso. Et si quis negat hoc, indiget sensu uisus, quemadmodum qui negat niuem esse albam. Cum ergo per ingressum & commixtionem huius lapidis cum metallis in conflatione, debeant metalla in aurum perfici, expresse patet solum argentum uiuum esse perfectiuũ huius operis, sine alicuius sulphuris, uel alterius rei commixtione. Propterea dixit Geber capitulo de procreatione auri: Quæcunq; igitur alterare uolueris ad illius exemplũ altera. Vnde Rhasis in 70. præceptis, scilicet in libro utilitatis dixit: Mercurius est radix omnis rei, & ipse solus est præparandus, & erit ex eo tinctura bona, & impressio uehemens, & fortitudo. Et Alphidius: Attende fili mi,

quod

quod omne sapientum opus, & Philosophorum in solo consistit argento uiuo. Et Geber in capitulo de procreatione Veneris: Studeas igitur in omnibus operibus tuis, argentum uiuum in commixtione superare, & si ex solo argento uiuo perficere poteris, pretiosissimæ artis indagator eris, & eius perfectionis, quæ naturæ uincit opus. Mundare enim intime poteris, ad quod natura non peruenit, &c. Ideo capitulo de principiis magisterii dicit, Consideratio autem rei, quæ ultimo perficit, est consideratio electionis puræ substantiæ argenti uiui, & est medicina, quæ ex illius materia sumpsit originem, & ex illa creata est, &c. Item capitulo de quinque differentiis perfectionis. Per hoc igitur patet, ex quibus medicina nostra eliciatur. Nam per ea elicitur, quæ maxime corporibus adiunguntur, & amicabiliter eisdem in profundo adhærent alterantia. Ideoque cum in rebus cæteris exquirendis, non inuenimus inuentione nostra, rem aliam magis quàm argentum uiuum naturis corporum amicari, per hoc opus nostrum in illo impendentes, reperimus, ipsum alterabilium ueram esse medicinam in complemento, cum alteratione uera, & non peculiosa modice, &c. Idem sermone uniuersali de medicinis secundi ordinis. Probauimus namque in nostris sermonibus, Sulphur cuiuscunque generis perfectionis esse corruptiuum, Argentum quippe uiuum perfectiuum est in operibus naturæ completis regiminibus. Igitur naturam imitantes in quibus est possibile nos sequi, operibus. Et argentum similiter in hoc magisterio, uiuum assumimus, in cuiusque perfectionis medicina, Lunari scilicet & Solari, &c. Item in capitulo de procreatione Martis dicit: Laudetur igitur benedictus & gloriosus Deus altissimus, qui creauit illud, id est argentum uiuum, deditque ei

ſubſtantiam,& ſubſtantiæ proprietates,quas non contingit ullam ex rebus in natura poſsidere, ut in ipſa poſsit inueniri hæc perfectio per artificium aliquod, quod in illo propinqua potentia inuenimus. Ipſum enim eſt quod ignem ſuperat,& ab igne non ſuperatur,ſed amicabiliter in eo quieſcit, gaudens eo,&c. Et idem hoc uoluit capitulo de coagulatione Mercurij,per præcipitationem. Et quod quamuis ibi dicat,quod hæc medicina elicitur de corporibus metallicis, cũ ſuo ſulphure uel arſenico præparatis, & ex alijs ſolis, ſimiliter, ſulphure & arſenico. Dicimus quod nullum eſt, ſed ipſius uerba ibi & alibi ſimilia,iuxta ſonum literæ non intelligi debent,quia ibi latet anguis in herba. Vnde dicit ipſe capitulo ubi concludit; Et eam ſimiliter occultauimus ubi magis aperte loquuti fuimus,non tamen ſub ænigmate, ſed ſub plana ſermonis ſerie,&c. Et dicit Morienes:Quod ſi fumus albus non eſſet,nullatenus aurum purum Chymiæ fieri poſsit.Item Hermes,Plato,Senior & Alexander,& quilibet Philoſophus in hac arte peritus,hoc uelle uidetur. Et ſenſus & uiſus,propter eius ultimam amicitiam in mixtione & inuicem unionem hoc credere nos inducit. Ex quibus ſatis cognoſcitur quod hic lapis unus omnia metalla perficere,& ad unum medium reducere poſsit, ſcilicet dura mollificare, & mollia indurare,&c.

Inſtantia, An ſulphur ſit pars materialis auri & lapidis Philoſophorum.

CAP. IIII.

SEd dices,ex uerbis tuis ſequi uidetur, quod ſulphur poſſit eſſe pars materialis auri, & lapidis Philoſophorum,

cum

cum argento uiuo, quod negasti. Nam sulphur mutatur & miscetur facile cum argento uiuo. Ergo uidetur habere magnam conuenientiam, conformitatem, et similitudinem cum eo. Si igitur argentum uiuum probatur esse materia auri, & lapidis Philosophorum, quia super omnia conformitatem habet cum eo, scilicet auro in mixtione, Ergo similiter & sulphur cum habeat magnam conformitatem cum argento uiuo in mixtione, erit pars materialis auri & lapidis Philosophorum, præsertim cum sulphur sit, sicut suum coagulum proprium, ut dicit Philosophus quarto Metheororum. Et proprium quidem argenti uiui est, quod coaguletur ex uapore sulphuris, & fortasis hoc modo gelatur, ut plumbum, &c. Si quis ergo uoluerit coagulare argentum uiuum, ut faciat aurum aut lapidem, oportet quod hoc faciat cum sulphure. Ergo sicut mixtione sulphuris coagulatur argentum uiuum, ita ex eius ablatione reddetur currens & fluxibile, ut prius. Ergo absq; commixtione sulphuris cum argento uiuo, & eius permanentia cum eo, non potest generari aurum nec lapis Philosophorum. Item cum aurum omne sit citrinum secundum magis & minus, & lapis Philosophorum rubicundissimus, & tinctura auri datur à sulphure, ut uult Philosophus quarto Metheororum, & Geber & Rhasis, & omnis Chymista, ergo & Sulphur necessario erit pars materialis eius. Quoniam sulphur est tinctura, & colorat argentum uiuum, omni colore, quia argentum uiuum est album, & non est uisum alterius coloris, ergo eadem de causa, erit pars materialis lapidis Philosophorum. Et nos respondemus ut prius, scilicet quod solum argentum uiuum, est tota causa materialis, & tota substantia lapidis Philosophici. Sed est sciendum, quod argentum

argentum uiuum in sui prima commixtione uel creatione, habet multas partes terreæ substantiæ, sulphureæ, albæ, in actu subtilissimæ, quæ sunt de substantia materiali ipsius, sine quibus substantia argenti uiui constare non potest, quæ ipsum naturaliter albo colore colorant, sed in magisterio ipsum albo colore albificant & rubificant sicut uolumus, regendo naturam ipsius. Quod autem argentum uiuum sic sit compositum, patet per Philosophum quarto Metheororum, ostendentem compositionem eius, qui dicit: Argentum uiuum est aqua, quæ miscetur cum terra subtili nimium sulphurea, mixtione forti, donec non quiescat in superfitie plana, & hoc est ex siccitate magna terrea quæ inest illi, & ideo non adhæret tangenti, estq; albedo illius ex claritate aquæ eius, & ex albedine illius terræ subtilis, &c. Et hoc idem innuit Geber capitulo de natura Mercurij. Et propter hoc tale Sulphur, cum conueniat in generatione & communitate quadam cum Sulphure extrinseco, commiscetur cum argento uiuo, & ipsum coagulat, & est utrumq; Sulphur non fixum, & unumquodq; ipsorum coagulat & colorat argentum uiuum. Sed cum argentum uiuum fuerit coagulatum & fixatũ, cum solo suo Sulphure intrinseco, & coloratum suo albo colore, uel rubeo in magisterio, tunc Sulphur extrinsecum non poterit de cætero in ipsum ingredi & commisceri, quia dissimilia facta sunt, propterea non ingreditur in Solem. Non igitur poterit esse materia uel pars materiæ lapidis, nec ipsum tingens, sicut nec in auro mineræ. Ex quibus secretum maximum panditur in hac arte, scilicet quod argentum uiuum non coagulatur coagulatione, quæ fit per mixtionem, nec coloratur nisi cum sulphure extrinseco, sed cum solo suo sulphure intrinseco, ad perfectionem, cum ex-

trinſeco uero congelatur ad corruptionem. Quæcunq; igitur coagulant Mercurium, quocunq; modo ſit coagulant per uirtutem ſulphuris, ut uapor Saturni, atramentum, & quæcunq; talia, quia non poſſet eſſe quod duæ diuerſæ res in ſubſtantia una eundem effectum, & eodem modo in aliud faciant, niſi per aliquod unum idem commune eis. Dico autem coagulationem quæ eſt per mixtionem cum permanentia metallicæ fuſionis. Propterea ſi aliqua alia ipſum coagulant, ſiue mineralia, ſiue uegetabilia, ſiue animalia, ſunt extranea, & aliter coagulant & colorant, quia non proprie ſed communiter. Cum igitur ſulphur extrinſecum, quamuis ſit ſicut generans, non poſsit eſſe materia, nec pars materiæ auri, ergo nec lapidis Philoſophorum. Concludimus igitur, quod nec aliquid aliud de mundo, materia lapidis eſſe poteſt niſi ſolum argentum uiuum, propter quod ſolutio patet ad oculum. Oportet ergo quod per artifitium quoddam occultiſsimum & diuinum, ex ſolo argento uiuo generemus argentum uerum mediante ſulphuris actione extrinſeci, ſibi à natura mixti, & abſq; illo ſulphure coagulemus ipſum. Quoniam generans, non poteſt eſſe pars materialis generati. Hoc enim tale erit facilis liquefactionis metallicę, & tenuiſſimæ ad modũ ceræ, & fixæ, ſuper ignis pugnam & aſperitatem, & complebit omne metallum in aurum ſubito, ſequendo naturam. Cum in ſe concludat omnes differentias perfectionis abſq; diminutione & ſuperfluitate, & conuertet omnia in unum medium, quod eſt aurum.

Probatio quod ſulphur ſolum ſit materia lapidis Philoſophorum & auri, ſecundum antiquos Philoſophos & ſoluit.

Cap. V.

O Amplius

AMplius idonee satis hæsitabunt aliqui transcurrentes libros Philosophorũ in superficie scilicet. Nam uidetur quod magisterium hoc totum fiat ex sulphure, & in illo consistat. Dicit enim Rosinus ad Euthesiam, quod sulphur incombustibile, quod aduersus ignem pugnauit, est, quod quærunt Philosophi. Et in fine libri eiusdem dicit: Certum igitur habeas quod nulla tinctura fit unquam, nisi per aquam sulphuris mundam. Idem in eodem dicit, quod color pretiosus Philosophorum exit de sulphure, & nunquam potest sulphur (quod naturaliter fugit in igne) postea fugere. Item Salomon filius Dauidis: Prætulit enim Deus omnibus lapidibus sulphur, Ideo apud nos prætulit ipsum, & apud ignaros uile est &c. Item Geber capitulo de natura sulphuris: Per Deum altissimum ipsum illuminat omne corpus, quoniam est lumen, alumen, & tinctura &c. Item Brisus in turba Philosophorum: Aqua munda ex solo fit sulphure, non tamen ex uno solo sulphure, uerum ex pluribus rebus, quæ unum sulphur facta sunt. Item Anaxagoras in eodem: Scitote quod huius operis perfectio est aqua sulphuris. Item Pithagoras in eodem: Scitote quod nostra compositio nihil aliud est, quàm aqua sulphuris, & sulphuris munda aqua, ex solo est sulphure. Idem in eodem: Tota operis perfectio fit cum sulphur à sulphuribus continentur. Item, coque sulphur cum sulphure.

Ad hanc quæstionem ut supra respondemus, scilicet quod in solo argento uiuo fit tota perfectio, & quia ipsum habet in sua compositione partes sulphureas siccas, ipsum tingentes & colorantes, albedine actu, & rubedine in potentia, ideo hoc sulphur est ipsum perfitiens, & informans: Et quia non potest seipsum educere in esse, ideo natura commiscuit ei sul-

ei sulphur extrinsecum, in suis mineris, ut ipsum decoquat, & de potentia ad actum extrahat, & ars eodem modo ut natura operatur. Et quia humidum aqueum, & siccum terreum sulphureum, penitus in ipso facta sunt unum & idem, per omnem modum, ideo aut cum tota sui substantia in igne permanet, aut cum tota substantia recedit, quia pars unius, non derelinquit partem alterius, secundum Gebrum. Vnde dicit Philosophus quarto Methcororum: Materia ductibilium est substantia aquea, mixta cum substantia terrea, mixtione forti, neq; potest unum ab alio separari, & congelatur substantia illius aquea cum frigore, post actionem caloris, in ipsum, quæ est Optesis &c. Et hoc sulphur occultum fit manifestum in magisterio artis, cum maxima sapientia. Sic igitur argentum uiuum, quod secundum se totum ostendebat naturam argenti uiui in manifesto prius, quando cum hoc suo sulphure in fine magisterij coagulatum est, totum in manifesto ostendat naturam sulphuris, dicebatur merito sulphur. Et hoc est sulphur quod coagulat suum Mercurium, quod est ignotum uulgo, de quo dicit Senior: Satis fecerunt sapientes antiqui hominibus, quando dixerunt: SVLPHVR NOSTRVM NON est sulphur uulgi, quia sulphur uulgi comburit combustione nigredinis, & corruptionis, & comburitur, sed sulphur sapientum comburit combustione albedinis, & meliorationis &c. Et hoc sulphur albificat, & rubificat, & coagulat, & perficit argentum uiuum, in substantiam auri, secundum naturam. Hoc notandum est, quòd cum omnis res composita, sit ex materia & forma, & res habeat esse, & denominationem à forma, ergo quanto res magis habet de forma, tanto magis habet de Entitate,

ergo etiam magis de uirtute, & operatione. Et cum forma sit in genere qualitatis primo, & per se (Non autem à quantitate nisi per accidens, quoniam quantitas tribuitur materiæ.) Cum ergo in magno quanto est parum de operatione, ergo parum de uirtute, ergo & parum de entitate, ergo & parum de forma. Et cum in paruo quanto, fuerit multum de operatione, ergo plurimum de uirtute, ergo & plurimum de entitate, ergo & plurimum de forma. Forma enim recipit extensionem subiecti in quo est, & diuisionem. Item dicitur in libro de causis, propositione decimaseptima, quod omnis uirtus unita, sit fortior quàm dispersa. Si ergo ita est, dicimus quod sulphur rubeum, luminosum, occultum in argento uiuo, cum sit forma auri, est tingens & transformans omne genus metallorum imperfectorum, in aurum uerissimum. Propter quod talis tinctura potius attribuitur qualitati sulphuris, scilicet formæ, quàm qualitati Mercurij, scilicet materiæ. Propterea eius rubedo trahit ad nigredinem, scilicet ad colorem hepatis, uel aloes, ut dicitur libro trium uerborum. Ideo quantitas magna sulphuris, non est tingens aurum, neq; Elixir, sed illud modicum, quod est forma siue qualitas argenti uiui, in quo est. Cum ergo una pars illius informet & tingat mille partes cuiuslibet metalli, in Solem, secundum Philosophos, ergo oportet, quod habeat multum de uirtute, & si habet multum de uirtute, eo plus continet in se de Entitate, ergo & plurimum de forma. Et hoc bene ostendit color eius in sua materia, imò ueraciter loquendo, ipsum est pura forma auri. Ideo potest extendi eius operatio propter rubedinem in magna quantitate, cuiuslibet metallorum, & tingere ad citrinitatem auri uerissimam, in omni examine stantem.

Ratio

Ratio est, quia cum in illis sulphur rubeum sit idem omnino cum suo argento uiuo, & è conuerso, (quamuis argentum uiuum quandoque dicatur materia, & sulphur suum forma,) & habet perficere metalla, oportet quod perficiat ea, in quātum habet naturam argenti uiui, & colorem, scilicet quod expolientur à sulphure extrinseco adueniente & corrumpente, & remaneant albę albedine argenti uiui, cum abstersione sui coloris primi, Ergo oportet quod in eodem momento, quo expoliantur, & fiunt alba, recipiant ab illo sulphure & rubedinem & citrinitatem auri, & formam, nisi enim expoliarentur & dealbarentur non possent tingi & perfici. Hæc autem tinctura est sulphur sapientum à sulphure uulgi plane remotum. Quod autem tales colores diuersi, sic dari possunt, patet sic: Quia ex Saturno fit albissima Cærusa, quæ sine alicuius rei alterius coniunctione uel admixtione, per solum ignem citrinatur, & in fine rubescit per suum intrinsecum sulphur, & dicitur Minium. Et ideo Rasis in lumine luminum dicit, quod hoc opus operi miniario assimilatur. Quia hic lapis cum germinat, habet tincturam suam totam in se ipso sicut minium, & hoc proprie est sulphur Philosophorum, & lapis eorum, & sulphur diuinum, & hoc est sulphur occultum, cum quo omnia deaurantur & decorantur. Hoc est umbra Solis, & coagulum argenti uiui, coagulans omne liquidum, & in suam naturam conuertens. Hic est qui cum uolantibus uolat, & cum quiescentibus quiescit, & omne quod est, propter suum robur ad se conuertit & uincit, & est aurum Philosophorum, quia omne cui iungitur conuertit in Solem. Hic est quæsitus à multis, & inuentus à paucis. Hic est, qui ab antiquis quinta essentia nuncupatur, & est sal ammoniacum & acetum Philosophorum, &

æs, & corpus, & terra, quæ dicitur mater elementorum, ad quam conuertuntur omnia elementa, & hæc est arbor aurea, de cuius fructu qui commederit, non esuriet unquam. Hic est lapis omni prætio carens, qui absq; aliquibus sumptibus inuenitur, Hic est in igne nutritus & generatus, & in igne gaudet. Hic est qui omni nomine nominatur, & qui omni rei assimilatur in mundo, qui à Philosophis minor mundus dicitur. Quia sicut homo dicitur Minor mundus, quia in eo omnium rerum similitudo & participatio reperitur, ita hoc sulphur dicitur minor mundus, et hoc est sulphur, quod est perfectio & arcanum Philosophorum, quod non inuenitur nisi ab eo, qui ipsum noscit. Et hoc est Sulphur secundum, quod coniungitur primo Sulphuri, ex quibus fit tertium sulphur, de quo dicitur, Sulphura sulphuribus continentur, & hoc est sulphur de quo auctoritates adductæ arguunt.

Nota de aqua, & oleo sulphuris.

Aqua autem sulphuris uel oleum eius, est argentum uiuum de sulphure composito extractum, & est aqua uiua, & hoc est quod proprie dicitur lac uirginis, & aqua sincera, cœlestis & gloriosa, et auis uolans, quæ substantialiter idem sunt cum sulphure dicto. Sulphur autem uulgi est diuersum ab eis. Et sic patet solutio quæstionis et argumentorum.

An sulphur solum sit tota materia auri & nota bene.

CAP. VI.

AMplius animaduertendum occurrit plurimum, quod propter dictas auctoritates sulphuris, & alias similes, quidam

quidam ignorantes principia, & naturas metallorum dixerunt, quod Sol sit materialiter totum ex sulphure citrino purissimo cum omni æqualitate in uentre terræ digesto, & habet ibi modicum de argento uiuo, à quo recipit luciditatem et extensionem sub malleo, sed à sulphure recipit substantiam, colorem, fusionem et reliqua accidentia propria. Item quod argentum uiuum non ingreditur ibi, nisi sicut temperans materiam, ad extensionem, eo modo scilicet quo frigiditas ingreditur in opus naturæ, quia instrumentum proprium naturæ est caliditas & non frigiditas, propterea suas operationes in sulphure uulgi impendentes, uacui semper à proposito fuerunt. Declarantes autem hoc dicimus, non solum secundum ueritatem huius scientiæ, sed Astrologiæ, et aliarum, et omnium ueterum Philosophorum, quod omnes antiqui posuerunt numerum metallorum, iuxta numerum Planetarum siue Astrorum errantium, cum metalla quoque habeant motum erraticum. Et cum astra sint septem numero, ita septem metalla reperierunt quæ attribuerunt ipsis, tanquã causis efficientibus et mouentibus ea, conueniunt enim sicut causæ superiores, cum causis suis uel effectibus inferioribus, Vnde Saturno attribuitur plumbum, Ioui stannum, Marti ferrũ, Soli aurum, Veneri æs, Lunæ argentum, Mercurio autẽ nullum metallum attribuerunt, cũ non reperiantur nisi dicta sex numero, scilicet quæ peruenerunt ad coagulationem cum liquefactione et extensione. Et ideo Philosophi tunc reuersi sunt ad materiam primam et propriam, ex qua metalla originem contraxerunt, cum ipsa materia sit eorum substantia, et dixerunt oẽs quod erat argentũ uiuũ, quod demũ attribuerunt Mercurio. Ita quod coacti ab ipsa ueritate posuerunt materiam metallorum de numero metallorum,

metallorum,ut complerent eorum numerum, iuxta numerum Planetarum. Si igitur sulphur esset materia & substantia metallorum ex qua fiunt, tunc omnes antiqui posuissent sulphur, & non Mercurium, nullus autem eorum hoc unquam posuit, Ex quo patet iterum argentum uiuum esse originem & materiam & substantiam omnium metallorum,non autem Sulphur. NOTA circa istam literam praecedentem,Et ideo Philosophi &c. quod Aristoteles secundo Physicorum & septimo Metaphysicę improbat Platonicos & Pythagoricos,& eorum sequaces antiquos, quia non cognouerunt de causis nisi materiam,& omne aliud à materia erat accidens in materia,cum sola materia esset substantia omnium rerum. Sed tamen est notandum quod Aristoteles & alij sic improbantes non habuerunt antiquorum intentionem. Cognouerunt enim omnes causas alias à materia sicut & ipsi, sed aliter tradiderunt de cognitione earum, & ad aliud suam referentes intentionem. Quia in hac arte omnia ferè loquuti sunt mystice & in naturalibus & alijs scientijs. Materia enim Chymiæ quæ dicitur materia prima, & Chaos,secundum antiquos, in quo sunt omnia in confusione,figuratiue est argentum uiuum Philosophorum, per digestionem quandam propriam generatum, quod est lapis eorum quæsitus,occultus sensui,& manifestus intellectui,quæ est forma & flos auri. Et quia ista materia est omnino necessaria,& debet esse necessario cognoscibilis,si materia formam auri debeat adipisci, ideo oportuit eos maxime sup omnia tractare de materia, qua uere & infallabiliter cognita, & forma auri immediate, similiter & finis immediate cognoscitur,quod forma sit idem quod finis, similiter & agens,cum natura sit agens, cum calore sulphuris in ipso

argento uiuo, pro ut in arte regitur, ita quod cognita materia, uere & absq; defectu aliquo, statim disponitur homo, in ueram cognitionem aliarum causarum omnium, & ipsa ignorata, ignorantur quoq; aliæ causæ omnes necessario, non autem è conuerso. Propter quod oportuit eos maxime tractare de cognitione materiæ, non autem sic de alijs. Dixerunt etiam omnia alia à materia esse accidentia, & hoc improprie ad rei ueritatem. Quia cum materia fuerit orta, ipsa de se est disposita ad recipiendam formam, & inclinatur ad receptionem ipsius, sicut imperfectum ad id quod debet perfici, & per artificis scientiam fit eius informatio, & per ignorantiam eius fit totius destructio. Et per hunc modum dixerunt, formam esse accidens, cum ipsa possit inhærere materiæ, & non inhærere materiæ, sed postquam adhæsit ipsa, inseparabiliter adhæret. Et dicitur forma substantialis apud eos, cum ipsa det esse materiæ substantiam proprie. Vnde si illorum uerba secundum eorum intentionem intelligantur, unusquisq; uidebit, quod ponunt formam esse substantiam rerum, sicut & materiam, & similiter accidens diuersis respectibus. Forma enim substantialis est principium essendi magis, quàm materia, cum ipsa sit actus, materia uero potentia, & quia secundum ueritatem formarum, nominantur substantiæ rerum. Materia tamen, alio modo potest dici magis substantia, scilicet in quantum principium est, unicuiq; rerum, & ex ea extrahuntur omnes formæ, & quia ipsa est, quæ habet perpetuari in rebus ut declaratur secundo Physicorum. Vnde dicit Philosophus, undecimo de animalibus, quod materia est prior generatione & tempore, forma autem ratione. Cum igitur forma quælibet existens in materia extrahatur de potentia suæ

materiæ, & non è conuerso, ideo ignorantes, præter rationem laborant, qui uolunt extrahere formas de materia, absque cognitione materiæ, quia ex materia extranea, non extrahitur forma propria, quam desiderant. Si quis ergo uelit cognoscere formam auri, oportet necessario, ut prius cognoscat materiam lapidis Philosophorũ, & per consequens disponitur in cognitionem formæ eius. Per quod patet, quod prima & principalis cognitio rerum, incipit à materia, hæc enim primo subiacet sensui cum suis accidentibus. Bene ergo dixerunt antiqui incipiendum à materia, & quia cognitio expertæ materiæ sit prior, tamen est imperfecta, & incerta. Cognitio autem formæ in sua materia, cum sit ultima, est perfecta & certa. Et hæc sufficiant de materia lapidis Philosophorum.

De Elementis lapidis.
Cap. VII.

OMnis forma extrahitur de potentia materiæ suæ propinquæ. Item, omnis forma debet esse uniuoca, & eiusdem generis cum sua materia, ex qua fit, & potentialiter in sua materia. NOTA. Inuestigatio per quam deuenire possumus in cognitionem ueritatis cuiuslibet rei, necessario sumitur ab essentia, & natura rei, & ab accidentibus proprijs ipsius, & non ab extraneis, & per consequens, operatio in generatione ipsius, si subiacere possit actibus nostris ut inuestigatio in cognitione hominis, sumitur ab essentia & natura hominis, non autem à natura ligni, & neq; ab essentia lapidis &c. Item cognitio essentiæ & naturæ rei, sumitur

à cogni-

à cognitione principiorum suorum. Principia autem sumuntur, aut, à per se notis, aut à superioribus scientijs. Principia autem rei sunt, causæ suæ propinquæ. Hanc etiam sententiam principiorum & elementorum cognoscendam dat Geber dicens, de principijs, &c. Cognoscere uero non est possibile transmutationes corporum uel ipsius argenti uiui, nisi super mentem artificis primo ueniat ea cognitio eorum scilicet naturæ secundum suas radices primas, ergo corporum principia notificabimus &c. & eadem sunt principia essendi & cognoscendi. Et in secundo capite quoq; dicit: quod sicut res se habent ad esse, sic ad intelligi & cognosci. Quapropter bene uidimus, quod in omnibus rebus reperiuntur tres modi: scilicet modus essendi, cognoscendi seu intelligendi, & modus significandi. Qui tamen tres modi sunt unum & idem essentialiter. Sic quidem modus inuestigandi & cognoscendi elementa in auro & lapide Philosophorum, patet uere, nec de cœtero egemus, nisi inuestigatione modi operandi in eis, quæ inuestigatio fit respiciendo ad modum operationis naturæ, & non aliter. Oportet ergo sequi naturam in materia & principijs & elementis similibus, in modo autem operandi quantumcunq; possumus. Nos ergo antiquorū sententias occultas ex uerbis barbaris elicere uolentes, de elementis dicimus, quod in omni mixto quatuor ad mixtionē conueniūt elementa, quorū duo sunt inclusa, ut ignis & aër, & duo includētia, ut terra & aqua, ignis aūt & aër sunt principia magis formalia & mouentia, alia uero magis materialia, & quietē faciētia, & in omni mixtione uidetur superabundā: terra & aqua. Virtus uero ignis & aëris proprie apparere non possunt nisi in terra & aqua, sicut nec uirtus formæ nisi in materia. Quia sicut forma est inclusa in ma-

teria, sic ignis & aër in terra & aqua. Vnde Philosophus decimo septimo, de animalibus dicit: Et forma ignis nõ apparet per se omnino, quoniam ignis habet formã propriam, & forma eius nõ apparet nisi in alio corpore &c. Item Rhasis in septuagesimo libro repræhensionis: Omne compositũ componitur ex quatuor naturis, duabus manifestis, & duabus occultis. Cum uero inclusa sint fortiora includentibus, tunc mixtum facile corrumpitur, quia principia formalia exhalant, per quæ datur forma, color, sapor, odor & similia, & materialia remanent, non tamen ex toto deserunt illa hæc. Si autem è conuerso, non facilę corrumpitur mixtum, quia propter fortitudinem includentium, inclusa non facile resoluuntur, si autem ambo debilia, tunc totum mixtum facile corrumpitur, quia una pars elementi non potest aliam retinere, ut patet in Camphora. Cumq; in fortitudine elementa æquantur, secundum omnem modum posibilem in natura, tunc inuicem pariter continentur, & pars minima cuiusq; temperatur, ligatur & retinetur à suo compari & contrario æqualiter, ita ut humidum & siccum sint æqualia in uirtutibus, item calidum & frigidum, fiant quoq; omnino unum absq; diuersitate, & tunc perpetuatur mixtum, cum ibi non sit repugnantia elementorum componentium, nec contrarietas, sed idenditas & similitudo totalis.

De elementis ergo secundum Chymistas omnes dicimus, quod elementa in hac arte sunt humidum, & siccum, id est, aqua & terra, & in aqua est aër, & in terra ignis. Veruntamen primum elementum & radicale, de quo omnia alia elementa originem traxerunt, est humiditas siue aqua, id est liquefactio, aut secundũ alios est terra, sed quicquid sit ad idẽ uertitur. Et de hoc Empedocles, & quidã alij antiqui dixerũt, quod

quod solum unum elementum sit in genere alterationis, & permutationis, & quod omnia generata sunt ex spissitudine unius elementi, quia quando inspissatur aqua, tunc cum terræ qualitates uincant qualitates aquæ, ex aqua fit terra. Ergo tunc quatuor elementa conueniunt & faciunt mixtum cum eis secundum eos, quos Philosophus redarguit in libro de Sensu, & Sensato, dicentes, quod omnia facta sunt ex aqua. Vnde dixit Morienes & Hermes, quod ex grossitie aquæ terra concreatur, & alij antiqui, quod terra natat super aquas, & est super aquas fundata. Et quia terra & aqua adæquãtur in pondere & uirtutibus, & aër adæquatur aquæ & ignis terræ, & sic mixtum fit perpetuans, ergo necessario quatuor elementa conueniunt æqualiter in compositione lapidis Philosophorum, & auri. Signum autem huius est, quia cera dum liquefacta est, ipsa tota dicitur aqua, secundum eos, ratione humiditatis fluxibilis, dum autem coagulata est ipsa tota dicitur terra, ratione siccitatis, quia quolibet æqualiter ponderat. Vnde Alexander in fine suæ epistolæ dixit: Scias quod Philosophi omne calidum ignem uocauerunt, & omne fluxibile aquam, & omne coagulatum terram uel lapidem, &c. Et neq; aqua nec aliquod elementum simplex confert nobis aliquid utile in arte, nisi omnia diuisa & depurata inuicem coniungantur, & æquentur perpetue. Ergo necessario cum generata fuerit aqua munda & candida, oportet quod ei terram coniungamus, eadem hora, & coniunctis illis duobus omnia quatuor coniuncta erunt, & tunc perfectum est opus, & si non coniungantur, tunc aqua resoluitur in fumum cum terra, & per consequens alia elementa propter uim & perseuerantiam ignis, & opus annihilatur, propter quod oportet artificem cognoscere

elementa simplicia penitus, antequam ipsorum compositionem incipiat, ut sciat ea recte componere, ad constitutionem compositi. Vnde dicitur in Lumine luminum: Oportet antequam inhumentur elementa, ut simul cognoscatur pondus cuiuslibet, et eius similitudo, et de coniunctione non est sperandum aliter. Item ibidem: Si uis elementa miscere, necesse est, ut elementorum cognoscas naturas, & componas contrarium cum contrario, &c. Similiter cum cæteris artificibus & scientijs oportet agere, & primo habere ueram cognitionem simplicium, quæ dicuntur elementa, antequam deueniat in certam & determinatam compositionem ipsorum, quia simplicia non considerantur per se, sed in quantum ex eis fit suum compositum. Vnde Alexander in suis secretis: Elementa simplicia nihil prosunt, cum autem componuntur, tunc composita mirabilium & altissimarum sunt operationum, & sic de alijs. Vnde conuerte elementa, & quod quæris inuenies. Conuertere autem elementa est conuertere humidum in siccum, & frigidum in calidum, ita ut fugiens fiat fixum, & fixum fugiens. Item Aristoteles in Secretis Secretorum, idem loquitur de conuersione elementorum: Sciatis quod omnia elementa tunc conuertuntur in terram actualiter, & elementa alia sunt, & remanent cum ea in potentia & uirtute. Propter quod dixit Hermes: Terra est elementum, & de terra omnia facta sunt, & ad terram conuertuntur. Moyses: Terra est mater elementorum, omnia de terra procedunt, & ad terram conuertuntur. Et dicit Morienes: Hæc autem terra est corpus & fermentum, per quod omnia alia elementa perpetuantur. Secundum hunc ergo modum in compositione lapidis Philosophorum, & in auro conueniunt quatuor elementa, æquantur

tur

tur enim ibi omnia elementa æquatione uera, secundum omnem modum possibilitatis naturæ. Vnde Rhasis in libro perfecti magisterij loquens de corpore & spiritu, pro ut sunt principia, & elementa lapidis Philosophorum, ratione qualitatum contrariarum temperatarum in eis, dicit sic: Cum uero alternatim modo congruo desponsantur, generatur ab eis substantia temperata, quam non potest ignis uiolentia superare, nec terræ fœculentia uitiare, nec aquæ limositas condemnare, nec contactus aëris obumbrare, &c. Et ideo aurum & lapis Philosophorum non corrumpuntur in igne, quãtumcunq; stent in igne, ipsa enim generata sunt in igne, & sicut locus ad generationem rei se habet, ita quoq; ad eius conseruationẽ. Quia omnis res ferè tam uegetabilis quâm animalis & mineralis, in loco proprio generationis melius quàm alibi conseruatur, quia igitur lapis Philosophorum & similiter aurũ, præsertim Chymicum, sunt generata in igne, ergo proprius locus conseruatiõis & melior, erit ignis. Quia inter ea actio nõ fit nec passio corruptiua, quia quandocunq; agens tantũ potest in agendo, quantũ patiens in patiendo, & è conuerso, tunc perpetuatur patiens per actionem agentis. Quia ergo lapis Philosophorum, tantũ potest cõtra ignem in patiendo, quantum ignis in agendo, ergo est perpetuus in igne. Patitur enim passione, quæ est salus & perfectio, non autem passione quæ abijcit à substantia. Ex quibus directe patet ueritas & intellectus antiquorum Philosophorum de generatione corporum cœlestium, quam posuerunt ex elementis in ipsa esse incorruptibilia. Posuerunt enim cœlũ, & cœlestia sic mixta, et ideo incorruptibilia facta sunt. Quoniã principia materialia nõ possunt à formalibus separari, nec è cõuerso, cũ in eis nõ fiat actio, nec passio ꝓpter ęqualitatẽ in

uirtutibus

uirtutibus actiuis & passiuis. Et ideo natura sagax secundum eos posuit ignem seu sphæram ignis, iuxta cœlestia, ad conseruationem ipsorum, cum sit maxime actiuus. Qualis ergo est proportio ignis illius materialis, ad lapidem Philosophorum & aurum, talis quoque est proportio ignis elementi in sphæra sua ad corpora cœlestia. Sicut igitur hæc in hoc igne conseruantur in esse suo, absque corruptione aliqua, sic & illa scilicet cœlestia in illo igne conseruantur, & tales res gaudent igne, ut dixit Alexander. Veruntamen cœlestia sic â solo Deo processerunt iussu Dei, Lapis autem Philosophorum, & ipsorum aurum â Deo non solo, sed â natura eius, non tamen â natura sola, sed ut est ab artificis uoluntate directa iussu Dei processit. Quoniam natura sola non potest, nec scit in ijs æquare elementa in uirtutibus, ut perpetuentur in mixto, nisi prout est ab artificis uoluntate directa. Et per hunc modum etiam, scilicet uoluntatis diuinæ, cœlestia corpora incorruptibilia sunt, ut dicit Plato. Et sic patet quomodo ars iuuet naturam. Ideo non possumus naturam sequi in modo sui operis, sed sic in opere. Ex quo patet quod nostra uoluntas cum sapientia ingreditur in opus hoc, sicut complens, & perficiens, & præparans, quia uoluntas cum sapientia cognoscit naturam, & opera eius, et ipsam sequitur, & gubernat propter eundem finem, ut dictum est superius. Iuxta dicta ergo sunt elementa quatuor ratione quatuor qualitatum primarum, & sunt conuertibilia ad inuicem, quia quodlibet est in quolibet, potentia & uirtute, propter quod reciproce continuo generantur & corrumpuntur. In substantia autem ab exordio mundi unum solum elementum est, quod est materia prima, ex cuius diuisione propter repugnantiam quatuor qualitatum generata sunt

quatuor

quatuor elementa, quæ erant ibi in potentia. Similiter in huius lapidis ortu, sunt quatuor elementa in potentia in uno, quod est materia prima, quæ inenarrabili artificio diuiduntur, & complectuntur. Censemus porrò hanc lapidem esse perpetuum & incorruptibilem super ignem, non solum propter adæquationem quatuor elementorum in uiribus suis, sed & propter coniunctionem quinti elementi cum illis. Quia sicut maior mundus ex quatuor elementis corruptibilibus est cōpositus, & uno incorruptibili, quod dicitur quinta essentia, sic & ars diuina uirtute quatuor elementa lapidis corruptibilia, nexu & nodo unius incorruptibilis, quod quinta essentia dicitur, in hoc minori mundo, indissolubiliter coagulauit, & copulauit, quod etiam quintum dicitur elementum. Ideo dixit Auicenna, hoc esse unum quinque elementorum. Vnde dicit Alexander: Initium huius artis ex quatuor est uiribus peragentibus, scilicet appetitiua, retentiua, digestiua, & expulsiua siue mundificatiua, & quinta scilicet anima, seu uita stans, ortus & lumen clarissimum, propter quod dicit eam non esse calidam nec frigidam, nec humidam, nec siccam. Est autem hæc quinta essentia sulphur diuinum incorruptibile, quo compositum incorruptibile perpetuo perseuerat. Et sicut humidum & siccum sunt elementa huius artis, secundum modum quem diximus, sic etiam anima, spiritus, & corpus, cum sint unum & idem cum humido & sicco, & è conuerso, eodem modo fixum & uolatile sunt elementa, similiter etiam candidum & rubicundum, ad hæc etiam sulphur & argentum uiuum, similiter aurum & argentum uiuum, quoniam eadem est essentia omnium. Et quia inter omnia elementa quatuor terra sola sit fixa, & ars Chymiæ uult lapidem suum esse fixum, ideo

oportet necessario quod in fine operis conuertantur omnia elementa in terram, id est fixionem, secundum Philosophos. Quæ igitur dixerunt antiqui Philosophi ante Aristotelem de elementis lapidis, & post ipsum in hac arte, & de elemētatis, & ipsorum generatione, ex uno solo elemento, aut duobus, aut tribus, aut quatuor, & ipsorum corruptibilitate, & perpetuitate secundum allegoriam dixerunt.

De fermento, modis, conditionibus, proprietatibus, & conuersione, quam facit secundum Philosophos huius artis.

Cap. VIII.

DE fermento ergo, sine quo ars Chymiæ perfici & compleri non potest, Philosophi occultissime & uelatis sermonibus certauerunt, quoniam illud est de secretissimis terminis huius artis. Sicut ergo intelligimus, differamus nunc. Apud Philosophos fermentum dupliciter uidetur dici. Vno modo, quo ipse lapis ex suis elementis compositus & completus est, in comparatione ad metalla. Alio modo illud quod est perficiens lapidem & ipsum complens. De primo modo dicimus, quod sicut fermentum pastæ uincit pastam, & ad se conuertit semper, sic & hic lapis conuertit ad se reliqua metalla. Et sicut una pars fermenti habet conuertere infinitas partes pastæ, & non conuerti, sic & hic lapis habet conuertere plurimas partes metallorum ad se, & non conuerti. Et sicut pasta alteratur, & conuertitur ab eo quod suæ naturæ est, & quod sumpsit originem ex ea, nec conuertitur à re extranea, simili modo metalla alterantur, & conuer-

conuertuntur ab eo, quod suæ naturæ est, & quod sumpsit originem ex eis, & non ab alia re extranea. Et sicut pasta non alterat, nec conuertit aliam pastam ad se, nisi prius alteretur, & recipiat uirtutem quandam additam, per quam recipit potentiam alterandi & conuertendi aliam pastam ad se, simili modo hic lapis non alterat, nec conuertit metalla ad se, nisi prius alteretur & conuertatur, & recipiat uirtutem quandam additam, per quam habeat potētiam alterandi & conuertendi metalla ad se. Vnde dicitur in turba Philosophorum, quod non alterat nisi prius alteretur, nec colorat nisi prius coloretur, nec mutat nisi prius mutetur. Et sicut fermentum recipit illam uirtutem alterandi, conuertendi, & transmutandi aliam pastam, à calore quodam occulto, ibi decoquente per caliditatem aëris continentis, & digerente, & extrahente in actu de potentia materiæ, quod erat ibi de potentia, per quam uirtutem conuertit aliam pastam in potentia existentem omnino ad se. Simili modo hic lapis, recipit uirtutem alterandi, conuertendi, & transmutandi omnia metalla à calore quodam scilicet artis, decoquente, digerente, & extrahente in actu de potentia materiæ uirtutem illam, per quam metalla omnia ad se conuertit, quoniam sine calore non est digestio nec motus, ut dicit Theophilus. Veruntamen est sciendum, quod est diuersitas magna inter hoc fermentum & illud. Nam pastæ per talem decoctionem nihil auffertur, quando fermentatur cum in ea nihil sit superfluum. Sed in hoc oportet, ut per decoctionem demantur partes superfluæ corrumpentes, sicut facit natura in decoctione auri, quibus demptis, dirigitur lapis, & recipit tunc uirtutem alterandi, conuertendi, & transmutandi ex se solo, & non ex alio, sicut patet in pasta per ingenium ualde

extraneum & profundum artis ministrantis. Vnde Rhasis in libro perfecti magisterij, dicit, quod omnia sunt in illo, scilicet calidum, frigidum, durum, molle, humidum, siccum, graue, leue, &c. Et Auicenna in fine sui tractatus, hoc Elixir tingitur tinctura sua, & submergitur oleo suo, & figitur calce sua &c. Sicut igitur fermentum massæ fit ex massa, & omnem aliam massam ad se conuertit, sic & fermentum metallorum, fit ex eadem substantia metallorum, & omnia metalla ad se conuertit. Et cum metalla sint generata ex sulphure & Mercurio, ergo & hoc fermentum generabitur ex eisdem. Et cum hoc fermentum conuertere debeat omnia metalla in Solem, & aurum sit ex solo argento uiuo purissimo, absq; permanentia sulphuris generatum, ut infra probabitur, ergo ex solo argento uiuo hoc fermentũ siue lapidem præparare necesse est, per artem Chymiæ. Ex quibus liquide patet quod hoc fermentum siue lapis duplici de causa potest dici fermentũ. Prima sicut fermentum massæ non fit, nisi ex simili substantia non extranea, per quam omnem massam ad se conuertit, simili modo, & hic fit ex substantia metallorum, & non ex re extranea. Secunda causa, quia sicut fermentum massæ, remanet idem quod prius, scilicet cũ uirtute conuertendi, addita, omnem massam conuertit ad se, sic & hoc. Ex quo patet, quod argentũ uiuum fermentatũ, & ad materiam fermenti cõuersum, conuertet ad se omne liquabile sui generis, scilicet omne metallũ, cum sint similis liquefactionis, sicut ipsum argentũ uiuum. Et cũ ipsius generatio proprie secundũ materiã sit ex argẽto uiuo solo, sicut est aurũ, ergo omnia conuertet ad aurũ. Sed animaduertendũ occurrit, quod conuersio metallorum per ipsum ad substantiam auri, est non conuertere omnino ad se, sicut fermentum pastam cõuertit,

& ratio est, quia tunc sequeretur quod per ipsius conuersionem nunquam haberemus aurum, nec aliud metallum, quia sicut tota pasta conuertitur ad naturam fermenti, & fit fermentum, & sic metalla omnia fierent, lapis ille, uel fermentum. De hac autem conuersione non curat Chymia. Sed ego imaginor quod conuersio metallorum per ipsum, sit reductio ipsorum ad quoddam medium, scilicet in substantia, in colore, in digestione, & in fusione, & in sonoritate, & per hanc talem digestionem fient aurum. In substantia quidem, quia cum aurum habet substantiam mediam in duricie & mollicie inter omnia metalla propter eius summam perfectionem, ita hic lapis conuertit & reducit omnia metalla ad substantiam mediam sicut est illa substantia auri. In colore uero, quia quædam sunt nigra, ut Saturnus et Mars, quędam rubea, ut Venus, quædam liuida, alba, ut Iuppiter, quædam alba albedine uera, ut Luna, quædam crocea, ut Sol, & hic color est medius omnium, ad quem hoc fermentum conuertit. In digestione uero, omnis digestio per calidum fit, Calor autem siue calidum comburens generat Venerem & Martem, diminutum autem Saturnum & Iouem, temperatum uero generat Solem & Lunam, sed magis proprie Solem. Vnde Rhasis in libro septuaginta præceptorum primo: Melius quod est in lapide est digestio, & digestio quidem est æqualitas & applicatio ad complementum. In fusione uero, quia Venus funditur cũ difficultate, Mars autem non nisi cum difficultate & ingenio, Saturnus uero & Iuppiter facile, Sol autem & Luna medio modo, ad hoc autem medium conuertuntur per dictum fermentum. In sonoritate uero, quia quædam sunt muta in sono, ut Iuppiter & Saturnus, quædam in sono acuta, ut Mars, Venus, & Luna, Sol

autem tenet medium, ad quod per hunc lapidem reducuntur, Sed in pondere & extensione sub malleo, omnia præcellit, propter suam ultimam perfectionem. Quia ultima perfectio uel subtiliatio partium metallorum, & suorum principiorum, & uniformitas in substantia, est causa magni ponderis, & aliarum conditionum. Reductio autem talis fit per ipsorum commixtionem secundum determinata pondera, Et quamuis lapis hic conuertat quodammodo, tamen etiam conuertitur & patitur. In omni enim mixtione fit actio & passio mixtorum adinuicem, & mutatio in quoddam tertium, quamuis aliquod eorum prædominetur, secundum ipsorum diuersam proportionem. Fermentum autem secundo modo dictum, est illud, quod est lapidem perficiens, & ipsum complens, sine quo lapis Philosophorum constare non potest, & hoc proprie est fermentum, in quo tota artis difficultas consistit.

¶ FERMENTVM AVTEM, &c.) Nota quod fermentum dicitur quasi à feruore, quia feruere, ebulire & crescere facit pastam, & habet substantiam unam per totum similem, & habet uirtutem uictricem & dominantem occultam, & conuersiuam pastæ, in sui similitudinem. Rectificando enim reducit eam ad statum digniorem, & meliorem. Vnde Hermes: Scias, quod perfectio pastæ non fit nisi ex sua natura, ita similiter & fermentum auri, &c. Relinquitur ergo quod fermentum compositum est ex diuersis uirtutibus occultis, in una substantia. Cum ergo corpus quod est occultum in argento uiuo Philosophorum, per Chymiam generato, habeat substantiam unam per totum similem, conuertet in sui similitudinem totum illud argentum uiuum dictum, cum ei miscetur per uoluntatē artificis, & faciet ipsum

feruere,

feruere, ebulire, & excrescere secundũ similitudinem quandam, per uirtutem suam occultam, uictricem, dominantem & conuertentem ipsum corrumpendo, id est mortificando, rectificando, & reducendo ad statum digniorem & meliorem. Ideo merito nominatum est corpus illud, fermentum. Argentum enim uiuum de se nihil ualet, cum autem cum suo illo corpore occulto mortificatur, retinetur cum eo semper, & uita uiuit incorruptibili in æternum. Et cum suum corpus sit de natura Solis, oportet quod totum illud conuertat in naturam Solis, & totum fiat fermentum conuertens omnia in Solem. Hoc autem fermentum est occultum sensui, sed intellectui & rationi manifestum, & est corpus retinens animam, & tunc anima suas uires demonstrat cum suo corpori est unita, quas sine unione monstrare non potest. Cum ergo animam candidam ortam artifex uisu perpenderit, suo corpori eodem momento coniungat. Non enim potest anima sine suo corpore detineri. Talis autem unio, fit mediante spiritu. Quia anima non potest uitam habere in suo corpore nec perseuerantiam, nisi per spiritum, & talis unio & coniunctio est finis operis. Neque est intelligendum per hoc scilicet corpus cui coniungitur, sit aliquid nouum siue extraneum quod addatur, nisi quod erat occultum fit manifestum, et è conuerso, sicut patet in cera liquefacta, quando coagulatur, itaquod uirtus corporis, tam fortis sit quod ab anima omnimode separari non posit. Vnde dicitur in Turba Philosophorum, quod corpus habet maiorem uim fratribus suis, id est, anima et spiritu. Et dicit Plato in stoicis: Non retinetur res nisi à fortiori illa. Vnde sicut pasta absque suo fermento intrinseco, non potest fieri fermentum, ita

ſine hoc corpore ſpirituali occulto, lapis non poteſt fermen-
tari, nec perfici, nec compleri. Quamuis in rei ueritate, ipſe
lapis ſecundum ſe totum, ſecundum corpus, ſecundum ani-
mam, & ſecundum ſpiritum, ſemper ſit idem ſecundum rem.
Secundum autem diuerſas relationes & intentiones Philo-
ſophorum, dicunt ipſum eſſe nunc hoc, nunc illud. Et hoc
uoluit Plato quando dixit, quod materia fluit in infinitum,
niſi forma ſiſtat fluxum. Oportet enim ut corpus retineat
animam, ne ipſa fluat. Et ſic intellexit Roſinus, & antiqui
primi, quando dixerunt: Omne corpus quod animam inue-
nit, facile ipſam occupat. Et de hoc prophetauit Plato, quaſi
diem Iuditij, qui dixit in [illegible] ſtoicarum, & Hamech in
Commento ſcilicet. Oportet quod coniungatur anima
cum ſuo primo corpore, de quo fuit, & non cum alio, quod
niſi feceris, deficies à propoſito, ſicut plures ignorantium, eo
quod ignorant hoc ſecretum. Et ideo Rhaſis in lumine lu-
minum, appellat hoc corpus ſpirituale occultum, quod eſt
fermentum & forma, cum dicit: Non ingrediendi uero cau-
ſa eſt, quia ipſum corpus eſt forma, ſpiritus uero mate-
ria, &c. Et uere ac ſubtiliter loquitur, quia ſicut materia non
habet eſſe ſine forma, ſed totum eſſe ſuum, & dependentia
eſt à forma, ita anima mediante ſpiritu non poteſt eſſe in
ipſo lapide, niſi per corpus, quia eorum eſſe & perfectio, de
pendet à corpore, ideo corpus eſt uinculũ, & forma eorum,
quamuis ſint idem: Similiter igitur patet, quod corpus ſit
forma, quia illud quod diſponit rem ultima diſpoſitione, &
ipſum complet eſt forma ſpecifica eius. Sed corpus eſt hu-
iuſmodi, ut diximus, ergo eſt forma ſpecifica complens.
Similiter cum omne compoſitum ſit ex materia & forma, &
ipſemet ſpiritus ſit materia, ergo corpus erit forma. Similiter
cum

cum fixum ſit informans tam lapidem quàm aurum, & ſit de natura corporis, Mercurius autem ſit, qui figitur & informatur, & ſit de natura ſpiritus, ergo corpus eſt forma, & iterum, quia quod eſt principium totalis cognitionis alicuius rei, eſt forma ſpecifica eius. Sed ipſum corpus ſic eſt, ut diximus, ergo eſt forma ſpecificationis. Ideo notanter dixit Plato, in primo Stoicarum: Cognitio corporum ad qualitatum principium eorum eſt, ex eo, quod facit opus facile, &c.

Hoc ergo corpus eſt, quod eſt forma, & fermentum, & perfectio, & tinctura, quam Philoſophi quæſiuerunt, & eſt Sol, & aurum Philoſophorum, quod eſt album in actu, & rubeum in potentia, & album eſt imperfectum, & perficitur rubedine, & non alio, ut dicitur in turba Philoſophorum. Et hoc eſt quod dixit Roſinus, ſcilicet Sol albus eſt apparitione, rubeus uero experimento. Et Anaxagoras dixit, Solem eſſe lapidem rubeum ardentem: Anima autem cui iungitur Sol, mediante ſpiritu, eſt alba, & eſt de natura Lunæ, & dicitur argentum uiuum Philoſophorum. Et ideo nunc patet ueritas eius, quod dixit Hermes, ſcilicet, quod ſine rubeo lapide nulla fit uera tinctura. Et patet ueritas eius, quod Morienes dixit, ſcilicet, quod ad effectum non perueniunt, donec Sol & Luna in unum corpus redigantur, quod ante Dei præceptum euenire non poteſt. Et patet etiam quod ſine Sole ars Chymiæ non perficitur nec completur, quoniam ipſe eſt uerum fermentum tam Solis quàm Lunæ. Et patet etiam ueritas eius, quod dicit Rhaſis in lumine luminum, ſcilicet rubicundus ſeruus candidam duxit uxorem. Et ſimiliter eſt ueritas, quod dicit alibi: Niſi quis ruborem cum candore adijciat, etiam ad ruboris ful-

gorem accedere non poteſt. Et patet ſimiliter, quomodo duplex eſt aurum, unum album, aliud rubeum. De quibus dicit Roſinus: Tu uero niſi aurum ponas in aurum, fruſtra laboras &c.

Et de hoc Sole albo dicit RHASIS libro perfecti magiſterij, quod ipſum eſt corpus neutrum, quia nec ęgrum nec ſanum. Et hoc aurum album eſt argentum uiuum, de quo dicit Geber capitulo de argento uiuo, quod nullum metallorum ſubmergitur in eo, niſi Sol, & quod eſt medium coniungendi tincturas. Et iterum de hoc Sole & argento uiuo, dicit capitulo de natura Solis: Cum ipſo ſimiliter permiſcentur ſpiritus, & figuntur per ipſum, maximo ingenio, quod non peruenit ad artificem duræ ceruicis, &c. quæ uerba uidentur plana, ſed ſunt ualde deceptoria. Et quod hoc ſit uere fermentum, uidetur uelle Hermes in ſeptimo, qui dicit: Et ſciendum quod fermentum confectionem dealbat, combuſtionem inhibet, tincturam continet ne fugiat, lenificat corpora, & ſe inuicem ingredi facit & coniungi, quod finis eſt operis &c. Et Morienes: Fermentum auri aurum eſt, ſicut fermentum paſtæ, paſta eſt. Ex quibus omnibus liquide patet, quomodo Sol & Luna ſunt eiuſdem naturæ, & quod Luna præcedit Solem, & ordinatur ad ipſum, & quomodo Sol eſt occultus in Luna, & quomodo de uentre Lunæ Sol extrahatur. Ideo dicit Senior, quod Sol eſt oriens in Luna creſcente. Et Zeno in turba Philoſophorum: Scitote omnes huius artis inueſtigatores, quod niſi dealbatis, non poteſtis rubeum facere, eo quod duæ naturæ nihil aliud ſunt quàm rubeum, & album. Et de albo fit album, & rubeum. Item Dardanus in eodem: Sciatis firmiſsime, quod ſi parum auri in compoſitione poſueritis, exiet tinctura potens

candi-

candida. Item Alphidius in eodem: Scitote, quod totius operis initium est dealbatio, cui succedit rubor, post quod est operis perfectio. Vnde Lilium: Quia spiritus & anima nunquam uniuntur uero modo, nisi in albo colore. Eædem res enim sunt quæ dealbant, & quæ rubificant intus & extra, ut idem in eodem dicit: Et quia hoc totum scilicet corpus & anima, simul unita per spiritum, est de pura natura auri, ergo quicquid conuertet, penitus conuertet ad naturam auri. Quia quamuis hæc tota massa sit in fine primi magisterij & primi gradus alba propter naturam Lunæ ibi tunc apparentem, attamen quia Sol est ibi occultus, & sit sicut dominans, cum sit fermentum, facit illam massam in potentia propinquissima rubeam in secundo magisterio & gradu. In magisterio autem tertio, quod est gradus tertius, & decoctio secunda & ultima, fermentum dominatur in actu, & conuertit totam illam massam in naturam rubedinis actualem, talem, ut est in Croco, ut dicit Zeno, & Rhasis, & Lilium, &c. Amplius dicimus, quod hoc fermentum est istud forte & fortissimum, quod omnia uincit, & ad se conuertit. Item relinquitur ex dictis, quod non ex aliqua alia re sit hoc fermentum, quâm ex illa substantia de qua est aurum. Et quia aurum est ex solo argento uiuo, & ultimus finis intentus est generare aurum, ergo quoque ex illo eodem argento uiuo erit fermentum, & ex illa eadem substantia auri. Quod enim est principium in intentione, est ultimum in operis exequutione. Vnde GEBER ubi loquitur de numero decem medicinarum, ponit, quod per hunc lapidem conuertitur argentum uiuum in aurum, & omne metallum similiter, & sic omnis Philosophus.

Non autem intelligitur quod fermentum hoc de quo loquuntur Chymistæ, conuertat alia in se ipsum, quemadmodum fermentum massæ conuertit ad se continue in infinitum istud quod est sui generis.

¶ CORPVS IGITVR HOC &c.) Notandum quod antiqui Philosophi huius artis, corpus appellauerunt circa illud, quod secũdum potentiam naturalem habet fixionem & permanentiam ad pugnam ignis cum continua perseuerantia. Et super hoc habet potentiam retinendi secum in commixtione istud, quod non est corpus, & est de sui natura incorporeum, aut non corpus. Sic animam appellauerunt omne istud, quod secundum sui potentiam naturalem, non habet fixionem, seu permanentiam ad pugnam ignis, sed eleuatur & euolat ab igne. Et super hoc habet potentiam eleuandi in fumum corpus in eo occultum, quod est de natura sui. Et hoc est anima, de qua quidam Philosophorum dixerunt, eam esse aërem, quidam ignem, quidam uaporem incorporalissimum, quidam substantiam tenuissimam, quia secundum analogiam loquuti sunt. Spiritum uero appellauerunt omne illud, quod subtiliatum, uel solutum, uel liquefactum ad ignem, secundum sui potentiam naturalem, habet potentiam resoluendi corpus cum anima in uaporem, uel retinendi animam cum corpore ad pugnam ignis, ut non euaporet. Quia spiritus cum æqualis fuerit, facit opus retinere animam. Et cum fuerit fortis, facit animam separare à corpore, & non manet cum corpore, quoniam sine spiritu anima cum corpore non manet, nec à corpore separatur, cum ipsorum sit uinculum. Vna tamen, & eadem

res in

res in ſubſtantia eſt, habens omnes iſtas proprietates & actiones. Dum enim in liquefactione permanet, ratione ſubtilitatis, dicitur ſpiritus, ſine quo ſpiritu non poteſt fieri generatio animæ & corporis, nec coniunctio animæ & corporis. Vnde in totò magiſterio dominatur ſpiritus in actu, uſquequo generetur anima & corpus. Dum autem uolare poteſt ab igne, dicitur anima, dum autem poteſt manere in igne, & perſeuerare, dicitur corpus. Si ergo tempore generationis anima ſteterit in igne, & ſeruauerunt eam eius uires per uim ſpiritus, tunc uolat ab igne & trahit ſecum corpus ad uolatum, & permanet operans uacuus à propoſito, & expectat quod iam uenit, & receſsit, & nunquam de cætero eſt uenturum, quod uidetur mirabile ei. Si enim præualuerunt uires corporis, tunc ſuper uires animæ per ęqualitatem ſpiritus, conuerſum eſt de actu in habitum, tunc corpus retinet animam, nec unquam habet uim fugiendi ab igne, & operans tunc habet propoſitum, ut habuerunt antiqui, tunc ſpiritus permanet cum eis ſemper, quandoq; in actu, quandoq; in habitu. Quod totum concipitur ex uerbis Platonis in Turba Philoſophorum, & in ſtoicis, & ex uerbis Senioris, & Haly, & Rhaſis, & aliorum omnium. Quia ergo hoc corpus perficit & retinet animã, & dat eſſe ſibi, & toto operi, & anima in hoc corpore demonſtrat uires ſuas, & hoc totum per ipſum fiat. Ideo digne (quãuis methaphorice) dixerunt corpus formam eſſe unam. Ergo & idem, ſecundum ſubſtantias. Quandoq; dicitur ſpiritus, quandoq; anima, quandoq; corpus diuerſis reſpectibus. Alia igitur eſt conſideratio ſpiritus, animæ, & corporis, quoad Philoſophum Chymicum, & alia, quoad naturalem Philoſophum, & methaphyſicum, imo ualde diuerſa ſubtiliter ſpeculanti. Et

ſciatis ſimiliter, quod ſpiritus procedit æqualiter ab utroq; neceſſario. Sed dices, quomodo intelligendum eſt illud Platonis in quarto ſtoicarum: Superfluum eſt apud operantes multociens iterare hoc opus, quia qui præparauit ſemel hoc opus, ditatus eſt. Hoc autem non uidetur illi, qui non eſt peritus in iis ſcientiis ſuperioribus, &c. Idem ibidem: Oportet quod ſpiritus coniungatur cum corpore, de quo fuit principium operationis, & diues fit operans, per hunc effectum ſpiritus, ſine hoc quod iteret opus. Velut qui trahit ignem â lapide, diues ab eo eſt, quia poterit multiplicare & augmentare ſine termino, ita quod operans afficitur tædio, & oportebit ipſum derelinquere partem. Item Rhaſis in ſeptuaginta præceptis, primo ſcilicet, dicit: Qui ſemel perficit opus, ditatus eſt. Et idem libro perfecti magiſterii: Neq; amplius indiges huius rei reiteratione, ex quo ipſam ſemel recte peregeris. Ego autem rationabiliter non poſſum imaginari aliquid aliud, quàm ſolum illud, quod dictum eſt. Non enim hoc fermentum multiplicat ſe in infinitum, ita quod minima pars eius, extenditur ſemper in infinitũ. Ad illud autem quod dicit Plato, Hamech, & Rhaſis, dicimus quod eorum dicta non intelliguntur ſecundum ſonum literæ. Nam qui errat in opere experiendo, eget reiteratione ſecundo & tertio, & totiens quouſq; quod appetit, comprahendat, ut ibi dicit Rhaſis. Cum autem ſemel perfecerit, non eget reiteratione illa ſcilicet perfectionis. Quia aliter reiterat perfectus & imperfectus in opere. Volunt ergo, quod poſtquam opus ſemel peregeris ex conditionum omnium & circumſtantiarum cognitione, quod tu es diues, ratione cognitionis. Quia poteris reiterare quotiens uolueris, ſine fallatia. Et ideo non eges reiteratione illius rei, ratione cognitionis,
cum

cum ipsa sit infinita, neq; ratione probationis, sed sic ratione operis. Idem dicit Rhasis in lumine luminum: Non nisi semel eges lapide, id est, ut cognoscas eius pondera. Morienes: Ecce, quia cognitio & scientia huius rei infinita uidetur, sed operatio pluries reiterata est finita. Vnde dicendum, quod cum operans in sua operatione, scilicet in decoctione & putrefactione uersatur, & peruenerit ad finem primi gradus, in quo apparet color primus, & simplex, post antecessionem omnium aliorum colorum, qui color est albus, tempore maturationis apparens, tunc statim incipitur secundus gradus operis, & hic secundus gradus operis est fermentum, & fermentatio massæ. Tunc enim elementa omnia debent æqualiter ponderari, & commisceri & non palpari, cum sint facta illo colore simplicia, & mundissima. Et cum commixta sunt, facta sunt perpetua super ignem, & operans factus est diues, tunc per hunc effectum non indiget reiteratione illius effectus, in illo magisterio, scilicet cognitione, ut aliâs reiteret, quando uult nouum opus incipere, quia si tunc non coniungat elementa, euanescunt ab igne, propter uim spiritus, & rei uolatilis dominantis, & fit pauper cum perdet diuitias acquisitas. Vnde hanc difficultatem inquirendi & inueniendi fermentum infinitum insinuans Geb. libro Inuentionis, dicit sic: Et sciatis quod nisi posueritis leuamentū, amittitis totam perfectionem, & hæc est clauis omnium Philosophorum. Haly in suis secretis, dicit: Qui hunc lapidem honoratum cum germinauerit non inueniet, non surget alius loco suo. Et Plato in stoicis: Caue ne in putrefactiōe perueniās ad terminū nociuū. Si enim cōtraxerit opus in solutiōe morā, fortaſsis augmentabitur in corruptione, unde caue ab hoc, etc. Idē eodē, Ditatus est operās ab eo, q̄d retinetur cum

peruenerit

peruenerit ad terminum, in quo nihil potest uideri subtilius. Non tamen sum fideiussor de defectu & diminutione, quoniam est in loco multorum accidentium & defectuum, ita quod potest esse cum saluatione & cum errore, &c. Vnde alius dicit: Quomodo est, quod putrefactio fuit eius cibus & uita, deinde facta est eius mors & ruina, & ipse respondet exemplo fœtus in matrice. Et hoc est quod uoluit Pythagoras, & Heraclitus, & alij antiqui, scilicet quod omnia sunt in continuo fluxu, & tam cito uelociterq; mutantur, ut nulla natura permanens aliquo tempore sit fixa in rebus, sed continuo & subito permutetur. Nonne uidemus in hijs quæ per artem coquuntur, quæ nostræ subiacent uoluntati, ut panis, & confectiones de melle & Zuccaro solidæ substantiæ, cum fuerunt in cõplemento suæ decoctionis perfecta sunt, & demum ab igne remouenda sunt, & si ulterius coquantur, comburuntur & destruuntur, quamuis completa & perfecta sint, necq; eget homo reiteratione illius decoctionis perfecta, in illo opere. Vnde etiam Haly adducit nobis exemplum de sapone, Quoniam habet terminum decoctionis perfectæ, quem si artifex transgreditur corrumpit ipsum, quamuis non sit totalis similitudo. Ex quibus liquide patet quod oportet artificem continuo esse uigilem, cum fuerit in opere, ut cum peruenerit ad gradum primum illius perfectæ decoctionis, in quo subtilius nihil potest uideri, ibi permaneat. Quia uoluntas perficit secundum gradum, & coniungit primo, & reiteratione eius non eget, si recte peregerit, & ditatus est. Imo si reiterare uellet non posit. Quod si ulterius transcendat euanescit opus, quia summa uolatilis quæ est de natura spiritus superat summam fixi, quæ est fermentum, propter uim caloris ignis, & sic euanescunt omnia elementa.

elementa. Quicunque ergo tunc per compositionem sciunt concordare, & pacificare elementa, cum sint contraria, perficiet opus, & faciet mira, & non aliter. Videas ergo, ne hanc radicem prætereas, nec aliquam eius quæras mutationem. Causa quippe eius quod dictum illa est, quia in fine perfectæ decoctionis & putrefactionis, natura generat ministratione artis, materiam simplicem, nudam, non coniunctam formæ suæ, quam antiqui uocauerunt materiam primam, propter similitudinem cum materia prima mundi, antequam informaretur, de qua dicit Plato in tertio Thimæi. Quod cum materiam primam imaginamur, patimur uelut somniantes, & æget hæc materia coniunctione cum forma sua, quæ est fermentum, quod quidem fermentum occultum est ingenio eius. Quæ coniunctio debet fieri statim in ortu materiæ, ut permaneat, & perseueret. Natura enim sola hanc coniunctionem facere non potest. Quia actio naturæ est continua cum igne, & actio ignis est infinita, ut dicitur secundo de anima. Et est irrationalis, & omne quod deficit de se, destruit. Sed anima artificis mensurans ipsum, imponit sibi finem, quando uult, & conseruat quod generauit ignis. Cum igitur artis sapientia, ipsa coniungit post completam actionem naturæ, faciendo naturam ab actione desistere, & de cœtero in igne poterit conseruari in infinitum, absque aliqua mensuratione ignis, facta ab artifice, quod est mirabile. Quia igne gaudet, sicut res quælibet inanimata in loco proprio suæ generationis. Ideo artifex tunc ab operatione & uigilia est totaliter absolutus, & potest quiescere. Vnde dicit Socrates in turba Philosophorum, de hac coniunctione: Hoc autem nota, nihil aliud est, quàm opus mulierum, & ludus puerorum, &c.

S Non

Non enim artifex plus laboris æget nisi occupatione illius, & debet ab eo quiescere, aut quæcunq; uult, ab hoc magisterio potest facere, propterea cõiunctio facillima est res. Tunc enim sola custodia, totum complet negotium, ut dicit Rhasis in lumine luminum. Sic enim elementa tunc coniunguntur & perpetuantur, propter uim fermenti. Vnde dixit Morienes: Et in hora coniunctionis maxima mirabilia apparebunt. Et sicut elementorum ablutio & depuratio fit per præsentiam ignis, sic eorum scilicet ablutorum coniunctio, & perpetuatio, & fermentatio, per ipsius fit absentiam. Vnde Rhasis libro trium uerborum: Et hoc fit uirtute Dei, temperamento ignis, & moderantia terminorum ignis. Vnde Morienes: Eius ignis est tota huius rei uera & perfecta probatio &c. Et Plato in Stoicis in trigesimo: Igneitas contrariatur in hora coagulationis, id est fermenti. Idem in libro sanationum: Commodum & incommodum huius rei, prouenit à commodo uel incommodo ignis.



De tempore fermentandi.

Cap. IX.

AMplius sciendum est, quod hoc tempus fermenti & fermentandi massam, est tempus in quo germinat lapis, quia oritur sicut germinantia, sicut dicit Haly, & Plato, & alij. Et quia germinatio proprie est uegetabilium, & redditio rei post corruptionem, ad id quod erat tempore præfinito. Ideo cum hic lapis quasi germinet, redeundo ad id quod erat, similabitur quasi uegetabilibus. Cum igitur in principio esset argentum uiuum coagulatum, ergo quando

oritur

orietur argentum uiuum per decoctionem,tūc germinauit. Sed cum sit liquefactum per decoctionem, oportet quod tūc coaguletur, & hæc coagulatio fit cum fermento, id est, corpore suo. Et hæc proprie est Chymia instrumentaliter. Rhasis in lumine luminum: Quæ seminauerit homo hæc metet. Item ibidem : Omne semen in terra proiectum, proprio generi correspondet. Quod si diuersi generis semina adinuicem mixta sint, unumquodq; proprium exprimit genus. Non enim generant res nisi sibi similia, nec fructificant res, nisi fructus suos, &c. Item Senior : Mineralia non nutriuntur, ut exeant à radice sua, sed redeunt ad id, ex quo fuerunt, nec conuertuntur ex hoc in aliud, & qui aliud dicit, falsum profert. Sic itaq; patet, quid sit fermentum, & eius germinatio & compositio.

¶ CAVSA QVIPPE &c.) Quamuis hoc dictum sit extraneum & mirandum, scilicet quod generat natura materiam simplicem, in formam non coniunctam suæ formæ, attamen est uerum secundum antiquos, sed similitudinarie. Et Philosophus in decimo sexto de animalibus simili uerbo mirando utitur, ubi ostendit quod anima uegetatiua & sensitiua datur ab intrinseco materiæ, intellectus autem ab extrinseco. Vnde dicit ibi: Corpus spermatis, cum quo exit semen spiritus, qui est uirtus principij animæ, est separatum à corpore, id est materia, & est res diuina, & tale dicitur intellectus, & iste spiritus non separatur à spermate &c. Ecce quod ponit sperma separatum à corpore, quamuis in ueritate rei non sit separatum, nec esse posſit. Intelligendum est enim corpus spermatis separatum à corpore, non, quia non sit in materia spermatis, sed quia est ibi quoddam occultum, non eductum de materia

ſpermatis, ſed ab extrinſeco datum, quod eſt intellectus, ad cuius poteſtatem corpus ſpermatis ſic ſpiritualiter diſponitur. Eodem modo eſt hic intelligendum, ſcilicet ſecundum ἀνάλογειαν. Cum tota traditio artis ſit ἀνάλογα καὶ τύπικα, &c.

Amplius notandum pro maiori intellectu prædictorum, quod operationes caloris in generatione & corruptione (in quantum calor) non ſint determinatæ, nec ordinatæ ad unum finem aliquem determinatum & manifeſtum, niſi in quantum calor regitur ab anima, uel intelligentia. Quoniam calor eſt inſtrumentum animæ, & omne agens ſuum inſtrumentum dirigit, & menſurat ut introducat formam. Per calorem autem intellige eum, qui eſt in actu, ut in animalibus habentibus ipſum in actu, aut potentia, aut uirtute, ut in uegetabilibus & mineralibus, & animalibus certis habentibus ipſum modo ſimili. Et iſte calor eſt elementalis & cœleſtis, infuſus & immixtus. Vnde Philoſophus ſecundo Phyſicorum: Homo & Sol generant hominem &c. Et abſq; Sole non poſsit fieri uel generari homo, quia calor Solis iuuat calorem intrinſecum hominis. Menſuratur enim iſte calor, quantitate, qualitate, & tempore ab animo uel intelligentia, uel ab utroq; in omnibus naturalibus, ad aliquem unum finem determinatum, in quo eſt acquiſitio formæ. Cum ergo ars Chymiæ ſit ſequela naturæ, & operetur cum calore actuali, ſcilicet igne, oportet neceſſario, quod anima artificis moderet, & menſuret illũ calorem, quantitate, qualitate, & tempore, uſq; ad finem quendam determinatum, ad formam adipiſcendã. Quia ſemper determinatũ eſt tempus, inter agẽs & patiẽs, in quo introducitur forma. Quod ſi artificis anima non ſic menſuret, ſed continuet calorem ignis ultra

ultra terminum, tunc ignis necessario formã destruit, quam fecit, propter immensurationem. Hoc autem satis patuit supra. Quia ignis actio est infinita, anima autem artificis mensurat ipsam, &c. Sciendum quod Philosophus nono Methaphysicę dicit, quod patientia irrationalis, est determinata ad unum tantum finem, & exit in actu, existente præsente passiuo disposito, ut ignis ad combustibile. Potentia autem rationalis se habet ad contraria, & exit in actum alterum, per appetitum sensitiuum rationalem, præsente pasiuo disposito, & facit in eo quod uult, siue quod desiderat. Et propter hoc dixit Pythagoras: Hominem esse mensuram omnium rerum, ut recitat Philosophus undecimo Methaphysicæ. Quapropter ueraciter dicimus, quod natura est quæ regit opus huius artis, per decoctionẽ in igne suo, uase ꝓprio, &c. pro ut regitur à cœlestibus, usq; ad finem operis & ultra, uoluntas autem est libera, & debet regere & modificare naturam in fine operis, ut non transcendat ultra. Quia uoluntas regendo naturam, debet ad se trahere naturam, sed si uoluntas trahatur à natura, & inclinetur ad eam, natura transcendet finem operis, & ipsum destruet. Adhuc opera naturæ planius perscrutando, dicimus. Quod sicut natura agit propter finem, sic & ars, &c. Finis autem naturæ est introductio formæ, in propria & conuenienti materia, cum fuerit in ultima dispositione per actionem agentis instrumentalis, directi ab ipsa natura, quod est calor appropriatus, tunc operi finem imponas. Cum itaq; per ingenium & sapientiam artificis, fuerit ortum & generatum argentum uiuum Philosophorum, quod est materia disposita, ultima dispositione ad formam, per actionem agentis instrumentalis, scilicet ignis directi ab anima artificis, Ergo oportet, quod in-

formetur tunc, & operi finem imponat. Cum finis intentionis artis & naturæ, fuerit generare tale argentum uiuum, habile ad informationẽ, scilicet Solis uel elixiris, siue lapidis Philosophorum. Anima enim artificis æquipollet in hoc. Frustra ergo & cum desperatione laborat, qui ultra laborat, cum laborat contra naturam, & contra intentionem naturæ & artis, &c. Nota secundum præsentem authorem, quod si fieret congelatio Mercurij, per rem extraneam, quæ non esset homogenea in natura ductibilium, nihil perfectionis affert. Quia non possunt commisceri nisi homogenea in natura. Etsi mineralium aliquorum natura ipsum mortificet, & coagulet, propter similitudinem mixtionis in natura, ut arsenicum & sulphur, dicimus quod eorum coagulatio est ad corruptionem, & non ad perfectionem, ut supra patuit.

Quid sit Theriaca & quid dicatur uenenum in lapide Philosophorum.

CAP. X.

QVia antiqui Philosophi assignauerunt, in compositione lapidis Philosophorum, Theriacam, & uenenum, & hæc cum sint de terminis occultissimis huius artis, ideo de ipsis nunc dicamus. Dicimus ergo quod sicut fermentum dupliciter dicebatur, sic & uenenum, cum idem sit, & similiter Theriaca. Vno modo quo ipse lapis perfectus & completus in operatione ad imperfecta metalla, alio modo ad id, quod est perficiens ipsum lapidem. Primo modo, est improprie dictum. Secundo autem modo, proprie. De primo modo dicimus, quod, quia ipse mundificat imperfecta metalla, & omnem ægritudinem & corruptionẽ ab eis auffert,

& ea sanat, et conuertit, et perficit in aurum, dicetur digno Theriaca ipsorum, quemadmodũ patet de Theriaca hominum. Et quemadmodum res uenenosæ appropriatæ, corpori Venenoso, dico leproso, adhibitæ, ipsum ab humoribus corruptis, & corrumpentibus membra, omnino sanant. Sic & hic lapis efficit in metallis leprosis. Et ideo quandoq; Venenum, quandoq; theriaca dicetur. Metalla enim corrupta, quæ sunt quatuor, laborant speciebus lepræ quatuor, ex aliquo quatuor humorũ corruptorũ, & sanantur per dictum lapidem, sicut lepra hominum per serpentes appropriatos. Ferrum enim patitur lepram, ex corruptione choleræ ad naturam melancholiæ conuersæ, quę Leonina dicitur. Aes autem ex corruptione saguinis, ad naturam melancholiæ conuersi, quæ dicitur allopetia. Stannum autem ex corruptione flegmatis, ad naturam melancholiæ conuersi, quæ dicitur Thiria. Plumbum autẽ ex corruptione melancholiæ solius, quæ dicitur Elephantia. Hæ autem lepræ omnes, sunt per admixtionem diuersi sulphuris corrumpentis ipsa, quod fuit in mineris suis. Et ideo per sulphuris illius ablationem directam, cuiuscunq; modi sit, sanantur & perficiuntur per hunc lapidem, sicut lepræ hominum per serpentes appropriatos. Argentum autem patitur principium lepræ phlegmaticæ, quia in se ipso habet partes sulphuris adurentis illud, ut patet. Sed natura sagax, in ipsius generatione miscuit theriacam talẽ, quod nõ augmentatur, sed sic manet aut in melius transmutatur. Quod sulphur cũ per hũc lapidem ablatũ fuerit, statim erit aurũ. Aurum aũt purissimũ est & nobilissimũ, & ęqualissimũ, sicut Sol inter sydera. Et sicut saguis purissimus in corpore humano tẽperatę cõplexionis, carens omni contraria qualitate seu extranea, & habet summã sanitatem.

Et

Et ideo ars ſequens naturam, uult omnia cum hoc lapide ſanare, qui eſt ſicut Theriaca ad Venenum, & in ſolum aurum tranſmutare, ſicut natura facit. Venenum autem proprie dictum & ſimiliter Theriaca, eſt ſecundum Chymiſtas, quod fuit dictum fermentum proprie, & hoc eſt quo ad operantem. Quia ſi ſtat in ſuo gradu, uigilanter tempore ortus & generationis animaduertendum, ut applicetur Theriaca, & uita ſibi & operi. Quodſi ulterius ignoranter tranſcendat, corrumpit opus, quia euaneſcunt omnia elementa quę erant miſcenda. Quare eſt ſibi uenenum, mors & deſperatio, & moritur etiam lapis, eo modo quo ſibi inerat uita. Vnde Plato tertio ſtoicarum in commento, hanc inſinuans ſententiam, abſcure dixit: Res, quando perueniunt ad terminum ſuum, ſunt uenenum mortiferum, & eſt res ſimplex unius eſſentiæ, & attrahit quicquid aſsimilatur ſibi, & propter hoc interficit animal. Et hic gradus eſt uita, & interfectio operantis, ex odore ſuo. Et ideo cauendum eſt, omnimoda cautione ab eius odore ne interficiat. Et quando hoc ſignum apparuerit, peruenit ad terminum, & ditatus eſt operans, ab eius obſeruatione, &c. Ad propoſitum ſunt multæ authoritates Philoſophorum, quibus cauſa breuitatis obmiſsis, duas ſaltem uel tres adduco. Roſinus: Hoc eſt uenenum, ineffabilis prætij, quod palam minima & uiliſsima uenditur re, &c. Et Haly: Hic lapis eſt uita mortuorum, & eorum reſurrectio. Eſt & medicina conſeruans corpus & purgans. Morienes: Eſt autem elixir medicina, ex pluribus confecta, quæ quidem medicina infirmitates metallorum ſanat, quemadmodum theriaca infirmitates hominum. Vnde à quibuſdam Venenum appellari ſolet, quia ſicut uenenum in corpore humano, ita elixir in corpore metallino ſuas exercet uires.

De

De unione corporis & animæ cum suo spiritu. Cap. XI.

VIdendum est, quod in magisterio & termino operationis cum oritur anima ipsa, quærit corpus suum, ut cũ eo uniatur, & recipiat uitam & operationem, quæ unio & compositio fit, mediante spiritu. Et cum coniuncta fuerit corpori, uiuunt in æternum cum suo corpore. Hæc autem coniunctio fit in ortu & resurrectione animæ. Quia quamuis prius creata esset cum suo corpore, tamen propter inquinationem corporis, & corruptibilitatem, non poterat anima suas proprias & incorruptibiles ostendere operationes. Imo tanquam mortua & inutilis iacebat, & quasi cum corpore tumulata. Et quando per magisteriũ ipsa purificatur, & candidatur, resurgit à corpore suo separata, & tunc suum corpus est etiam purificatum, & ipsa quærit suum corpus, & desiderat coniungi sibi, ut in æternum uiuat, nec potest coniungi cum corpore alieno. Potius enim tunc euolat ab igne, trahens secum corpus suum ad uolatum, quâm alteri corpori patiatur coniungi, & uniri, & sic opus annihilatur, & artifex à suo proposito uacuatur. Ideo corpus dicitur suæ animæ Theriaca, cum anima per illud saluetur, & beatificetur. Et dicitur Venenum, cum sit causa mortis animæ perpetuæ, quando per insipientiam artificis non coniunguntur. Et ex hoc patet ueritas illius uerbi Platonis, quod apud Philosophũ non uerificatur octauo Methaphysicę, scilicet, quod anima nostra orta, sit in Orizonte æternitatis, antequam suo corpori uniatur. Quia posuit formas uniri, & separatas uniri per medium. Fuit enim loquutus secundum ἀναλογίαν. Et in hac coniunctione resurrectionis, fit corpus totũ spirituale,

ut ipsa anima. Et fiunt sic unum sicut aqua mixta aquæ, & non separantur de cœtero in æternum, cum in eis nulla sit diuersitas, imo unitas & identitas omnium trium, scilicet corporis, spiritus, & animæ, absque separatione in æternum. Sicut patet uere de identitate, & unitate sanctissimæ trinitatis in Deo: scilicet patris, filij, & spiritus sancti, quæ sunt in ipso Deo unũ, cum distinctione personarũ, absque diuersitate in substantia. Ex quibus uerbis directe possumus conijcere, quod antiqui Philosophi huius artis fuerunt uates ueri, per hãc diuinã artem, scilicet de resurrectione animæ humanæ cũ suo corpore, & eius glorificatione. De apparitione Dei in carne humana, scilicet Christi, & idenditate ipsius cum Deo, mediante influxu, & manatione spiritus sancti, quamuis indistincte ualde hæc nouerunt & confusè. Censeo uerum esse apud considerantes ueritatem, & figuras in rebus. Quod quicunque huius artis diuinę & gloriosę fuerit uerus artifex, poterit ponere trinitatem in Deo in unitate, & unitatẽ in trinitate, cum distinctione tamen, sed absque diuersitate in ipso. Nam in hoc lapide uere assignatur trinitas in unitate, & è conuerso, cum distinctione, & absque diuersitate, ut patet subtiliter intuenti & scienti. Neque uideo exemplum in mundo sic per omnia simile, ad assignandam trinitatem in Deo, sicut hoc. Illud etiam Beati Augustini, quod ponit ca. 10. de trinitate in anima, & quod ponitur primo sententiarum, scilicet quod in anima sint ista tria idem, scilicet memoria, intelligentia, & dilectio, siue uoluntas, est quoque pulchrum & uerũ. Et credo firmiter, quod quicunque infidelis hanc artem diuinam ueraciter sciret, fieret necessario fidelis in trinitate Dei, & si hoc non facit, nõ est, nisi ex timore pœnæ præceptę, ne sibi pœna similis inferatur. Nihilominus tamen perfectissimè uidet, & trinita

tem

tem in Deo esse, & assignari necessario posse, per istius lapidis prætiosissimi inuentionem. Sicut uiderunt Hermes, Plato, & antiqui Philosophi. Ad propositum uero redeuntes de ueneno & Theriaca propriissime loquentes, dicimus nũc quod hic lapis cũ in decoctione oritur, tunc oritur in diebus præfinitis, ad similitudinem argenti uiui candidissimi, & est Mercurius Philosophorũ, ut ex uerbis eorum concipimus. Et quia argento uiuo nulla utilitas sequi potest, nisi cũ corpore suo coniungatur & mortificetur. Ideo necessario, ut ueritas & finis operis constet, oportet ut à corpore suo tunc interficiatur. Et quia omne interimens large sumendo, potest dici uenenum, ideo istud corpus dici potest, & dicitur uenenũ, sine quo opus hoc constare non potest. Et quia talis interemptio est salus & perfectio eius, quod interimitur ut uiuat uita incorruptibili in æternum. Ideo dicitur Theriaca, qui ad uitam incorruptibilem per interemptionem ipsum reducit, sicut uere patet in glorificatione sanctorum. Nam quod eos interimit, scilicet mors, potest dici uenenum, sed quia ex hoc accidit uita perpetua cum glorificatiõe. Ideo potest dici Theriaca, quæ Theriaca proprie & uere erit in die nouissimo. Tunc enim fiet animarum & corporũ suorum purgatorũ resurrectio ac cõiunctio, & unio perpetua. Et sic etiam in hac arte accidit gloriosa, in suo die nouissimo. Hoc autem uenenum & Theriaca est corpus antedictum & fermentum, & clauis totius operis, & est forma Solis, & flos auri. Vnde Zeno in turba Philosophorum: Scitote quod nullum corpus est præciosius & purius Sole. Et quod nullum uenenum tingens, generetur absq; Sole, & sua umbra. Qui Philosophorum uenenum absque hoc facere conatur, iam errans decidit in id, quod eius tristitia permanet. Qui autem

ſapientum uenenum, Sole & eius umbra tinxit, ad maximum peruenit archanum. Item alter in eodem: Cum autem uenenum ipſum corpus penetrat, inuariabili colore colorat. Et nunquam dimittit corpus animam, quæ compar ſibi eſt, à ſe ſeparari &c. Ex quibus dictis patet, quod ſine ueneno & Theriaca Chymia non perficitur, non ſecundum intentionem conſiderantium in ſuperficie, ſcilicet quod apponatur aliquid aliorum ab extrinſeco. Sed quia in fine operis & decoctionis fiunt hæc obtinentia nomina eorum, ut dictum eſt. Hæc uerba profundiſsima ſunt, & dicta ſecundum ſententiam antiquorum Philoſophorum, & ſunt conſona cum prius dictis: de fermento & elementis.

Quid ſit coagulum, quid lac, & quid maſculus & fœmina, in lapide Philoſophorum ſecundum Philoſophos.

CAP. XII.

De coagulo quoq; & lacte, nec non & de maſculo & fœmina, Philoſophi in hoc lapide tractauerunt. Sunt enim hæc de ſecretiſsimis terminis huius artis, quibus incognitis, & hæc ars quoq; totaliter ignoratur. Sunt quidam qui imaginantur, quod hic lapis cum perfectus eſt, comparatur ad Mercurium, ſicut coagulum ad lac. Sicut enim modica pars coaguli, multam quantitatem lactis coagulat, Sic modica pars huius lapidis, ſuper multas partes Mercurij proiecta, coagulat in Solem uel Lunam. Qui longe ualde ab eorum intentione loquuntur. Si enim ſic eſſet, quæ nam eſſet comparatio huius lapidis ad metalla? Non enim poteſt coagulare ea, quæ iam coagulata ſunt à natura, Mercurius autem ſic. Nos ergo dicimus quod coagulum apud

Philo-

Philoſophos eſt illud, quod in capitulis dictis eſt indicatum. corpus ſiue fermentum, ſiue uenenum, ſiue flos auri, quod eſt occultum in Mercurio Philoſophorum quando oritur, & ille Mercurius dicitur lac. Illud enim coagulum eſt, quod coagulat illum Mercurium. Et ipſum & argentum uiuum ſunt unum, & idem in ſubſtantia. Ita quod ſeipſum coagulat, & ab alio non coagulatur, ut uere patet de Cera liquefacta, quando coagulatur. Et ſicut coagulum fit ex ſolo lacte, ſed per quandam digeſtionem & decoctionem alteram recipit potentiam & uirtutem coagulandi illud lac, in quo eſt, Sic & hoc coagulum quod eſt in Mercurio Philoſophorum ortum, recipit per quandam digeſtionem & decoctionem, alteram potentiam & uirtutem coagulandi illum Mercurium in quo eſt, & recipiendi & perficiendi cum ſit in ipſo, & cum ipſo ortum. Vnde ſicut coagulum dominatur lacti, & ipſum coagulando ad ſe conuertit, & fiunt omnino unum coagulum, abſq; diuerſitate, ſic & hic. Propter quod non fidendum Mercurio ſublimato, ſed calcinato poſt ſublimationes, ut dicit expoſitor in lumine luminum. Quia cum fuerit ſublimatus Mercurius Philoſophorum candidus, de ſui natura eſt uolans ab igne, cum autem à ſuo coagulo coagulatur, calcinatur, figitur, & retinetur. Et hoc coagulum eſt aurum Philoſophorum, & uenenum.

Et ſciatis quod hoc coagulum eſt clauis Philoſophorum. quia coagulando ſpiritus, diſſoluit corpora ſimul & ſemel in eodem momento. Et ideo dixerunt Philoſophi, quod ſpiritus non poſſunt detineri niſi cum aquis corporum, & quod unum & idem eſt coagulatio ſpiritus, & ſolutio corporis. Vnde Rhaſis in epiſtola quadam: Gummi noſtrum coagulat lac noſtrum, & lac noſtrum diſſoluit gummi noſtrum, &

posthoc apparebit rubedo orientalis, &c. Et Lucas in Turba Philosophorum: Accipite argentum uiuum quod est ex masculo, & ipsum secundum consuetudinem coagulate, non enim hic est regendi initium, eo quod iam coagulatum est. Senior: Quando uidi aquam seipsam coagulare, tunc certificatus sum, quod res uera est sicut assignatur. Et hanc aquam coagulatam nominant nomine cuiuslibet masculi, deinde desponsauerunt eum cum fœmina, & ipse est ex ea, & ipsa est radix eius, & coagulatio eius, sicut dixit Hermes. Idem in eodem: Congelat autem hæc aqua cum est coagulata, & aqua currens est mater congelatæ, & ex ea fuit. Ad hunc autem modum assignauerunt in suo lapide masculum & fœminam, nominantes Fœminam ipsum lac, quod coagulatur, Masculum autem, quod coagulat. Quia actio attribuitur masculo, passio autem fœminæ. Nam in hoc lapide quando oritur, cum ipse sit liquidus & fluens, & paciens, dicitur fœmina. Suum autem coagulum à quo coagulatur, cum sit solidum, firmum, permanens, & agens in illud, dicitur Masculus. Compositum uero ex ijs, dicitur Lapis commixtus, completus, & perfectus, & fiunt in commixtione unum omnino, sicut in Cera. Vnde dixit Alexander: Scias quod nullus nascitur nisi ex mare & fœmina, & nullum germen gignitur nisi ex humido & calido, aliâs sicco. Item in Turba Philosophorum: Cum enim masculus & fœmina coniunguntur, fit mulier non fugiens, compositum autem spirituale. Vi enim masculi recepta, gaudet fœmina, eo quod masculo iuuatur, Masculus uera à fœmina tingente ipsum spiritum, Masculus igitur & fœmina in simul coniunguntur & unum fuerit, &c. Item alter in eodem: Veneramini regem & uxorem suam, & nolite eos comburere, &c.

Senior:

Senior: Masculus est sine alis existens sub fœmina, fœmina uero habet alas & uult uolare, masculus autem retinet uolantem. Et propter hoc dixerunt Philosophi, facite fœminam ascendere super masculum, & ascendet masculus super fœminam, &c. Et Rosinus: Fœmina masculo roboratur &c. Et est sciendum quod masculus & fœmina sunt idem in eodem subiecto, & sunt uirtutes habentes diuersas & contrarias actiones in tali subiecti unitate. Et hoc potest confirmari per Philosophum, primo de Plantis, qui ponit, quod in seminibus est mixtio masculi & fœminæ, dicit enim sic: Semen plantæ est simile impraegnationi, quæ est mixtio masculi & fœminæ. Et sicut in ouo est uis generandi pullum, & materia cibi, usque ad horam complementi, & sui exitus ab eo. Et sicut gallina ponit unum ouum in una hora, ita & planta semen, &c. Et idem dicit decimo sexto de animalibus: Ex quo patet quod talis copulatio siue connexio potest dici Hermophroditus, quia plantæ & semina ubicunque impręgnant, & impręgnantur: & hoc denotat, agens & patiens, in eodem subiecto simul esse commixta, in unitate quadam. Quando igitur oritur lapis iste, habet in se mixtionem masculi & fœminæ, sed oritur liquidus, fluens, uolans, lucidus & coagulationem patiens, & sic est fœmina. Coagulum autem oritur in uentre eius, & est solidum, stans, permanens, umbram ostendens, sicut faciunt lapides prætiosi lucidi, & coagulationem in illo faciens, & est masculus. Et sicut fœmineum & paciens est, & quiddam diminutum & imperfectum, ita masculinum cum sit agens, est quiddam completiuum, & perfectiuum ipsius. Et quia fœmina est alba fugiens, sed ualde leuiter sinit se à masculo capi, masculus uero est rubeus

perseqens

persequens fœminam fugientem, & ipsam capiens, & retinens ui ualida. Propterea dixerunt, Fœmina habet alas, Masculus uero non. Hermes: Fili extrahe à radio suam umbram. Radius enim est humiditas & fœmina, Vmbra uero est siccitas in humiditate occulta, & est masculus, cuius generatio fuit à natura, antequam generatio fœminæ. Simili modo dixerunt hunc lapidem primo esse senem, & secundo iuuenem. Quia de ratione iuuentutis, est colorem rubeum inferre, roseum in cute humana, et in capillis, de ratione autem senectutis, albedinem. Cum ergo hic lapis primo in sui generatione sit albus, in secundo rubeus, merito primo dicetur senex, secundo iuuenis. Vnde Rhasis in epistola: Lapis scientiæ nostræ, primo est senex, & ultimo puer, quia albedo est in principio, & rubedo in fine, &c. Dixerunt etiam cum proportione simili, hunc lapidem regionalem. Quia ratione suæ humiditatis, dixerunt ipsum esse Aegyptiacum, & ratione siccitatis, Persicum. Vnde Aegyptum, domum humiditatis dixerunt, Persiam autem domum siccitatis. Et Aegyptij, terræ Persarum egent subsidio, sicut dicit Milucscindus. Omnis enim putrefactio fit in humido, finis autem putrefactionis est siccitas, & incineratio. Cum ergo fuerimus in fine putrefactionis completæ, oportet desiccare, & tunc fit conuersio elementorum, quia humidum fit siccum. Et Aegyptij recipiunt subsidium à Persis, & sic alternatim lapides ad inuicem commutantur. Et ideo putrefactio non ualet alibi quàm in Aegypto, ipsius autem finis, non est nisi in Persia. Secundum hunc ergo modum assignauerunt in hoc lapide, mulierem prægnantem, masculum rubeum in utero habentem, & parturire clamantem. Vnde lapis qui superius dictus est fœmina, est mulier prægnans, qui autem

dictus

dictus est masculus, est stans in utero paratus ad partum. Et ideo in coagulatione apparet partus. Quia lapis dictus fœmina, parit lapidem alium, quia quod erat intus exit foras. Et quod erat fluxibile fit coagulatum. Multos quoque alios terminos annuerunt Philosophi, sed prædictorum cognitione integre habita, aliarum cognitio nullatenus poterit occultari.

Sequitur de similitudinibus generationis fœtus ex spermate & saguine menstruo, & auis ex ouo, comparando in generationem auri, ex sulphure & argento uiuo, ad generationem ipsorum.

Cap. XIII.

CVm locus à simili sumptus, & proportione in arguendo, in qualibet arte & scientia familiaris sit, & omnia manifesta esse uidentur. Ideo generationem auri â natura, & ab arte, ex sulphure & argento uiuo, fœtus ex spermate & menstruo saguine, intendimus proportionabiliter explicare, ut ex ijs omnia quæ diximus â simili roboremus. Erunt autem proportiones nouæ & inauditæ. Dicimus ergo quod principia generationis fœtus sunt duo, sperma & saguis menstruus. Quia in omni generatione est necessarium, agens & materia. Materia uero & agens non coincidunt, ut patet secundo Physicorum. Sperma autem est agens, & saguis menstruus, est materia, ut patet ex quindecimo & sedecimo de animalibus. Et ut dicit Auerrhois secundo colliget. Et quia omne agens cum introductione suæ formæ, simul separatur à materia, nec subijcitur materiæ, seu pro materia generati, ergo sperma separabitur ab illa, simul cum introductione formæ. Quod autem saguis menstruus sit materia generati, sic

rati,sic patet. Quia ex eisdem generamur & nutrimur, & è conuerso,ut dicitur secundo colliget, & secundo de generatione & corruptione,& decimo quinto de animalibus. Cum ergo fœtus nutritur ex saguine, ergo similiter generatur ex eo,oportet ergo dicere quod sperma sit agens. Vere ergo dicit Philosophus decimo quinto de animalibus, scilicet uir dat formam & principium motus, fœmina dat corpus & materiam, sicut in lacte coagulato, Ita erit quod abscinditur à mare & fœmina. Est ergo masculus operans, & fœmina patiens,sicut est scamnum ex carpentario & ligno. Non igitur erit sperma tanquam pars generati, sed erit sicut motor, & forma, & sicut sanitas quæ accidit infirmo, ex scientia medicinali &c. Possumus ergo in proposito dicere, quod sicut scamnum est ex carpentario & ligno, ex carpentario tanquam efficiente, & ligno tanquam materia. Et sicut fœtus est ex spermate, sicut ex efficiente, & menstruo saguine, sicut materia. Eodem etiam modo omnino dicimus, quod aurum & lapis Philosophorum, est ex sulphure, sicut ex efficiente, & argento uiuo, sicut ex materia. Et sicut sperma informat forma sibi simili, & non aliena, sic sulphur informat forma sibi simili, & non aliena. Ita hoc sulphur agens extrinsecum, extrahit per digestionem illud sulphur quod est in potentia in argento uiuo in actu,quod sulphur informat argentum uiuum forma sua, id est, forma auri,aut lapidis Philosophorum. Et hoc est, quod argentum uiuum informat, coagulat, colorat, & infixat per actionem illius.

Est præterea notandum quod sperma generat ex materia cor primo,& primam uirtutem in corde imprimit sibi similem

similem. Quoniam sperma habet primam uirtutem generatiuam contractam ab eo, de quo decisum est, & generãdo cor, dat similem uirtutem generatiuam cordi, & post separatur ab eo, & derelinquit ipsum solitarium. Quia cor potest de cœtero generare alia corpora uel membra omnia, ad corpus pertinentia, per uirtutem primam sibi introductam à spermate sibi similem, uirtuti existentem in spermate, absq; præsentia spermatis. Quia sperma postquam generauit cor, iam totum opus suum peregit, nec est de cœtero necessarium ad generationem. Non autem solum in corporibus animatis anima sensibili, sed etiam animatis anima uegetabili hoc idem patet. Post seminationem enim determinata periodo, germinabunt semina per uirtutem generatiuam insitam ipsis, & in quibusdam ascendunt semina diuisa super terram in ipsa generatione, & in quibusdam manent in terra. Et illa semina adhærent germini, post separantur, & paulatim crescunt in ipsis germinibus, tanquam uana & inutilia ad generationem ulteriorem. Quia similem uirtutem generatiuam, quam habebant intus, duxerunt in ipsis germinibus, & germina obtinuerunt eam, & euanuit uirtus, quæ prius fuerat in seminibus, postquam opus suum totum peregit, propter quod illa germina sunt, & permanent, per se sufficientia ad generationem succeisiue, absq; seminibus, ex quibus generata sunt, Ideo generant folia, flores, & semina in circulo, sicut illa ex quibus originem traxerunt. Omnes etiam res quæ generantur, & in sua specie multiplicantur, non generantur nisi à sibi similibus in natura, tanquã à principijs & radicibus suis, secundũ modum quẽ diximus. Est ergo germen sicut cor generatum, & separatum à semine suo, in quo

 est tota

est tota uirtus fœminis generatiua, omnium membrorum plantæ, & partium eius, secundum exigentiam suæ speciei, quemadmodum in corde Embrionis à spermate generato.

Sic eodem modo dicimus quod sulphur extrinsecum generat ex argento uiuo sulphur quoddam, quod est sicut cor, primam uirtutem generatiuam, introductam à sulphure extrinseco in se continens, & tunc amplius non eget eius præsentia. Quia sulphur extrinsecum, iam totum opus suum peregit. Et hoc sulphur generatum in Mercurio, & ex eo est cor & forma, & tinctura, quemadmodum in homine cor &c. Sicut ergo sperma post generationem cordis, non habet aliud efficere de cœtero, quia introduxit formam, et etiam impossibile est, duo agentia cōcurrere æqualiter ad eundem effectum. Sic & sulphur extrinsecum similiter se habere debebit. Ergo sulphur extrinsecum, postquam introduxit in actu sulphur ex intrinseco argenti uiui, quod est sicut cor, & forma argenti uiui, debet similiter separari. Confirmamus autem hoc per Philosophum decimosexto, de animalibus dicentem: Creatur autem cor prius à spermate, aut membrum conueniens cordi, quod erit principiū generationis corporis totius &c. Et post dicit: Et propter hoc in creatiōe, cor prius inter alia omnia membra in actu existit, quod manifestum est sensui, & similiter rationi, quando conceptum suscitatur, ex semine maris & superfluitate mulieris seu fœminæ, & cum fuerit solitarium, debet regere se, sicut filius qui exijt à domo patris sui &c.

Sciendum pro dictis, quod sicut non est necesse, quod primū mouens tangat suū mobile continuo, sed sufficit quod iam tetigerit, ut patet in sagittatore & sagitta. Sic est de spermate, & illo, à quo decisum est, scilicet corde, quod generauit

sperma

ſperma, & corde, quod generauit membra fœtus. Vnde dicit Philoſophus decimo ſexto de animalibus: Sicut accidit rebus quæ ſunt per ſe, quod primum mouens mouet, non quod non tangat corpus omnino ulterius, ſed quia iam tetigit in præterito. Ita eſt illud ex quo fit ſperma, & non tangit poſt hoc. Eodem modo dicimus de ſulphure & Mercurio, quia cum ſulphur extrinſecum, tetigit argentum uiuum, & generauit ſiue creauit ſulphur in argento uiuo, ex ipſo in quo eſt uirtus prima generandi & informandi aurũ, non eſt neceſſe, ut de cætero tangat ipſum, ſed ſufficit quòd iam tetigerit in præterito. Ideo dignum eſt, ut hoc extrinſecum ſeparetur ſicut perpetuum à corruptibili. AMPLIVS, ſubtiliter enim animaduertendum eſt, quod ſperma, quando eſt forte & temperati caloris, tunc eſt potens digerere menſtruum complete. Quia non poteſt fieri completa digeſtio, niſi per calorem completum, ſicut indigeſtio per calorem diminutum. Ergo cum ſperma fuerit uincens & potens bene digerere menſtruum, ſcilicet cum ſit ſicut motor & operans, aſsimilabit ſibi hoc neceſſario quod generat, Ergo generabit maſculum, cum ſperma ſit ex maſculo. Et quia omnis corruptio & alteratio eſt ad contrarium, tunc quando ſperma nõ poterit uincere & digerere menſtruum, propter pœnuriam caloris, non peterit fœtum ſecundum ſimilitudinem formæ ſuæ producere, ergo erit alterata ad contrarium. Et quia fœmina contrariatur mari, neceſſario creabit fœminam, quia ſperma eſt ſicut operans, & menſtruum ſicut patiens. Propterea accidit, quod mares ſint calidiores fœminis, quia caliditas tribuitur agenti. Sic eodem modo dicimus de Mercurio & ſulphure. Nã quando ſulphur eſt bene potens digerere argentum uiuum, ex completa actione

caloris, tunc sulphur assimilabit sibi argentum uiuum, & faciet ipsum aurum. Quoniam sulphur est ipsum digerens & citrinans, ideo aurum est citrinum, & masculinum complete digestum. Cum autem sulphur non poterit bene digerere argentum uiuum ex indigentia caloris, tunc erit alteratio ad contrarium, ergo sulphur non assimilabit sibi Mercurium, ergo non fiet aurum, sed argentum. Et ob hoc argentum est album, sicut argentum uiuum, & est sicut fœmina & incomplete digestum. Et hæc est causa albedinis argenti, & citrinitatis auri. Vnde sicut fœmina est mas occasionatus, secundum Philosophum in libris præallegatis, sic similiter dicitur quod argentum est aurum occasionatum. Est autem citrinitas, & albedo in auro & argento non ex utroq;, sed ex argento uiuo tantum, quemadmodum album in ouo, & citrinum, sunt ex parte fœminæ, & non maris, quamuis in argento uiuo non sint ita distincta, ut in ouo: Ideo dicit Philosophus decimo septimo libro de animalibus: Album & citrinum in ouo, non sunt ex mare & fœmina, sed ex fœmina tantum. In alijs autem metallis, quia aut sulphur non potuit bene digerere, & uincere argentum uiuum, propter paucitatem caloris, ut in Saturno & Ioue, aut combussit nimis, ut in ære uel ferro. Ideo in ipsis nondum potuit generare aurum nec argentum. Quoniam sulphur non est uincens, nec uictum omnino. Et intemperantia caloris sulphuris, potest esse magis in abundantia, quàm in defectu, & potest utraque dici indigestio diuersis respectibus, postquam non tenet medium. Ideo bene dicit Philosophus, decimo octauo, de animalibus, scilicet quod mares & fœminæ indigent temperantia caloris, quemadmodum omnia naturalia & artificialia, non sunt nisi per terminum, & tempe-
rantiam

rantiam determinatam, cum calor uincit ualde, deficcat res humidas. Et cum diminuitur multum non poteſt ſuſtentare humiditates, & propter hoc indiget temperantia. Si autem non fuerit ita, accidet iſtud, quod accidit rebus decoctis, quoniam ignis multus comburit, & paucus non poteſt digerere. Et propterea indiget mas & fœmina ad creandum filium, temperantia caloris, &c. Et huic concordat uerbum Galeni in quarto de ingenio ſanitatis, qui dicit: Omnis error duobus modis eſt, in quantitate ſcilicet, ſi ultra temperamentum eſt, uel citra temperamentum. Nam idem, ideſt conſimilem defectum, facit plus, & minus. Vnde dicimus, aurum ſolum eſſe â calore temperato decoctum, & â natura digeſtum, citrinum, maſculinum, & ſimile eſt argentum, & nullum aliorum hoc habere meruit.

RVRSVS NE uideamur ignorare intentionem uerborum Ariſtotelis, dicimus, Quod quamuis ſperma ſit factor Embrionis, ut dictum eſt, tamen non eſt ſicut principale agens, ſed magis ut organum & inſtrumentum. Quia anima exiſtens in ſpermate, eſt principale agens, & mouens, mota ab anima generantis, cum omne quod eſt, habeat animam actu, uel potẽtia, uel ſecundũ quid, uel ſimpliciter, ut dicitur decimo ſexto de animalibus. Et utitur ſpermate tanquam inſtrumento cũ calido & frigido, ad generationẽ & formationem, ut ibi dicitur, unde ex motu generantur calidum & frigidum, ut inſtrumenta faciunt duritiem & mollitiem, & ſimilia accidentia, ut patet tam in naturalibus, quàm artificialibus. Gladius enim efficitur ex motu inſtrumenti, quod mouetur ſecundum ſcientiam artificis, &c. Vnde ſicut anima hominis in qua eſt ſcientia, mediante ſaguine & ſpiritu, mouet manum, & inſtrumentum extrinſecum,

per

per quod deinde mouetur materia, ſic & anima exiſtens in ſpermate, mouet ſpiritum ſecundum motum generantis à quo exiuit, & utitur ipſo, ut inſtrumento mediante calore naturali, & ſperma mouet materiam, ſcilicet menſtruum. Vnde dicitur decimo ſexto de animalibus: Quod cum ſperma uenerit in matricem, mouet menſtruum eodem modo, quo ipſum excitat modum, ſcilicet ab anima generantis à qua exiuit ſperma, & omnia membra ſunt in potentia, tam in menſtruo, quàm ſpermate. In actu autem nullum, ſed in menſtruo paſsiue, in ſpermate uero actiue. Et hoc facit cum calido naturali uel animali proportionato, ordinatione Aſtrorum, quod eſt uitale, quod calidum, non eſt ignis uel ab igne, ut ibi dicitur. Cum ignis animal non generet, nec nutriat. Eodem modo dicimus de ſulphure, & argento uiuo, in operibus naturæ. Quoniam ſulphur non eſt agens principale, ſed uirtus mineralis occulta exiſtens in ipſo, mediante calore mineræ digerente, eſt principale agens intrinſecum cum corporibus cœleſtibus, & mouet ſulphur cum calore ſuo ſicut inſtrumentum, Sulphur autem mouet argentum uiuum, tanquam materiam ſibi propriam ad generationem, eo motu, quo mouetur ab agentibus primis. Similiter in operibus eiuſdem naturæ menſuratis ab arte, quia anima artificis in qua eſt ſpeties & ſcientia, eſt principale agens extrinſecum, & mouet uirtutem mineralem digeſtiuam, & liquefactiuam & generatiuam exiſtentem in ſulphure per tempus, caliditate ignis menſurata ab artifice, ſicut principale agens intrinſecum. Et hæc uirtus mouet ſulphur, in quo eſt, ſicut inſtrumentum. Sulphur autē motum, mouet argentum uiuum ſimiliter, ſicut propriam materiam ad generationem, eo motu, quo mouetur à primis. Et eſt

aurum

aurum in argento uiuo, & in sulphure in potentia, actu uero non. Sed est in Mercurio uiuo passiue. In sulphure uero actiue, sicut in efficiente. Vnde liquefactio & coagulatio, & alia accidentia fiunt à calido & frigido, forma uero efficitur ex motu instrumentorum motorum, secundum scientiam artificis mensurantis & ministrantis ea naturæ.

Argenti uiui uulgaris similitudo.

Cap. XIIII.

DIcemus denuo quod argentum uiuum uulgare assimilatur menstruo, & ouis &c. Vnde sicut ex menstruo, absq; spermate nō fit Embrio, nec ex ouis fit auis absq; semine maris, quia uirtus animæ non est in eis, nisi ex spermate uel semine maris, ut patet decimosexto de animalibus. Sic ex argento uiuo uulgari, nunquam fiet aurum nec lapis Philosophorum, absq; sulphure. Quia non est in eo uirtus generatiua, nisi per sulphur. Secundum igitur hanc proportionem dicimus de sulphure, quoniam illud assimilatur spermati, & semini maris. Sicut ergo ex solo spermate, absq; menstruo fœminæ non fit generatio. (Siquidem tota materia generationis & nutrimenti non sit, nisi ex fœmina) Sic ex sulphure solo, absq; argento uiuo, nunquam fiet aurum, nec lapis Philosophorum, quia in eo non est uirtus materiæ, nec nutrimenti. Et sicut ex albo oui fit generatio pulli, & nutrimenti ex solo citrino. Sic similiter generatio auri fit ex argento uiuo, & nutrimentum eius ex solo citrino, id est sulphure suo. Generatio igitur lapidis, erit ex albo, id est, argento uiuo, & nutrimentum ex solo citrino. scilicet sulphure suo occulto, digesto per actionem sulphuris extrinseci,

regimine artis & artificis, ministrantis naturæ. Propterea natura sapientissima in animalibus perfectis, in quibus est dare marem & fœminam, separauit marem â fœmina, quæ ad generationem temporibus congruis coniunguntur. In seminibus uero, quia non sunt corpora mobilia, localiter, â principio intrinseco, coniunxit eis natura, simul marem & fœminam, ita, quod in quolibet semine est coniuncta & indistincta uirtus (quo ad substantiam uirtutis maris & fœminæ) ad generationem fiendam. Sic similiter, ac propter eandem causam, coniunxit in mineris metallorum sulphur & argentum uiuum, ad generationem ipsorum. Ideo mineræ metallorum omnium sunt mixtæ necessario sulphure & Mercurio uulgi, cum sint simul ibi generata, mixta, & coagulata. Et ob hoc, sicut mas non generat in substantia propria, sed in passiua sibi opposita (quæ dicitur argentum uiuum in arte) siue agens & patiens sint coniuncta siue separata. Sic similiter sulphur, non generat in substantia propria, sed in passiua sibi opposita, argentum uiuum dicta. Si igitur uerum est, quod in principio huius capituli diximus, secundum sententiam Aristotelis, Auerrhois, Alexandri &c. scilicet quod ex eisdem generamur, nutrimur, & complemur, & non ab extraneis. Ergo ex eisdem etiam aurum debet generari, nutriri, perfici ac compleri, & nõ ab extraneis. Cum igitur aurũ sit generatũ, nutritum, perfectum, & completum â natura, ex solo argento uiuo, ab extrinseco sulphure decocto, & ultimo ab eo expoliato, Ergo & lapis Philosophorum ex eisdem debet generari, nutriri, perfici, & compleri, scilicet ex quibus est aurum, & non de extraneis. Quia sicut cognitio rei sumitur ab essentia, & natura rei, & suis principijs, sic quoque operatio ipsius. Quia ergo ex imperfectis

perfectis metallis, debet per hunc lapidem aurum generari, nutriri, perfici atque compleri per eorum mixtionem, ergo ex solis partibus eorum, quæ sunt ex eisdem ut aurum, generabitur aurum, & partes extraneæ corrumpentes separabuntur seorsum. Et cum partes quæ sunt in eis, scilicet, quæ sunt ex eisdem, ut aurum, sint argentum uiuum, ergo ex solo argento uiuo eorum generabitur aurum, & nutrietur, & perficietur, & complebitur per hunc lapidem. Ergo & partes sulphuris quæ sunt in eis, cum sint extraneæ & corrumpentes, separabuntur seorsim, quia non miscebuntur. Omnis enim res ex sibi similibus conficitur, & perficitur, & completur, & non ab extraneis. Vnde Philosophus in secundo de anima dicit: Quod nutrimentum in principio sit dissimile à nutrito, in fine autem simile. Ergo à similibus res perficitur, & nutritur & completur, & ideo ab extraneis non. Sic ergo patet, quod aurum Chymicum debet esse necessario ex eisdem omnino, & eodem modo generatum, ut minerale, & non de extraneis, nec modo extraneo. Qui igitur in extraneis laborant, & modo extraneo, à natura operantur, & extranea faciunt, atque aliena. Similiter autem, et qui in eisdem, non extraneo modo operantur, ueritatem rei consequuntur.

Cupientes igitur per artem Chymiæ, naturam sequi, non impendant laborem in argento uiuo solo, scilicet uulgi, nec in sulphure solo, scilicet uulgi, nec cum quibus alijs intermixtis, sicut nec natura, Imo nec in argento uiuo, et sulphure uulgi coniunctim (quod forsan uidetur mirabile) sed in eo in quo sunt à natura coniuncta, quia præparauit arti sicut ancilla, Coniungit aũt ipsa natura à principijs generationis

ſicut in lacte butyrum, lac & ſerum, quæ poſt digerit, & ab inuicem ſeparat & ſequeſtrat, ſimiliter autem & ars. Similitudines autem iſtæ ſunt ſufficientes & ueraces, etiam ad hoc propoſitum oſtendendum, quamuis non ſint totales. Quoniam animatorum ad inanimata non poteſt eſſe in omnibus totalis ſimilitudo. Non enim generatur aurum ex auro, ſicut animal ex animali, ſed talis inueſtigatio extranea pulcherrima eſt. Concludimus igitur ex omnibus prius dictis, quod quicunque cupiens, figuras & ἀναλογίας uerborum cum omni imaginatione inueſtigare, cum ars ſupra naturam & rationem naturalem conſiſtit, ut prius oſtendimus. Oportet ipſum neceſſario operibus diuinis, ſupra naturam & naturalem rationem & intellectum exiſtentibus conſentire, & fidem omnimodo adhibere. Quod ſi ſolam rationem adeptus fuerit, finem artis penitus non attingit.

¶ CONIVNGIT AVTEM &c.) Sciendum, quod ſicut natura generat metalla ex ſulphure & Mercurio, non quod ſulphur in ſua natura per ſe reperiatur, in ſuis mineris nec argentum uiuum ſic, ſed reperiuntur hæc à natura commixta, & in naturā terræ redacta, neque reperitur etiā aliquid ibi, in quo ſaluetur media ſubſtantia, uel diſpoſitio, à mollitie argenti uiui ad duritiem alicuius metalli, cum tamen non fiat tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium, ſic & in tranſmutatione metallorum imperfectorum, uerſus perfecta, eſt exiſtimandum, quia natura in ijs occultiſsime operatur. Regiones narrant res, & generationes diuerſificant ea, non ſolum ſecundum ſpecies, ſed ſecundum proprietates & accidētia in eadē ſpecie. Hoc patet in animatis & inanimatis, ut dicit Philoſophus 8. de animalibus. Sic

ſimili=

similiter existimemus de mineris metallorum: Quia ratione diuersarum minerarum in regionibus diuersis, quędam possunt nobilitare imperfecta metalla, in Solem, & quædam non, quasi de se semper, & ubiq; sint disposita ad finē illum. Sicut etiam uidemus quasdam melius argentum, & quasdam melius æs producere propter dictas causas. Quia potest minera esse corrupta, & carens aquis lauantibus, per fluxum earum. Aut sulphuris mali repletio, impedit transmutationem talem fieri, in tali loco. Item secundum aspectus cœlestes ad hæc operantes, &c.

Instantia contradicta in qua probatur quod ex Venere & Marte non posit fieri aurum & argentum.

CAP. XV.

SEd dicet aliquis: Videtur quod ex ferro & Venere non posit fieri Sol uel Luna per Chymiam, siue per lapidem Philosophorum, quod primo probatur sic. Impossibile est illi rei quæ transiuit terminum decoctionis, ut redeat ad terminum decoctionis, & ad medium. Sicut non est possibile, ut assum reuertatur ad elixum, ut dicit Auerrhois tertio colliget. Et cum æs & ferrum sint eiusmodi, ergo transmutari non possunt. Reliqua uero confitemur posse conuerti. Similiter quæ cruda sunt, possunt decoqui, è contra autem incrudari non possunt. Et quæ sunt semidigesta, possunt complete digeri, quæ autem superflue, ad temperatum reuerti nō possunt. Vt patet in cibis, qui elixantur & assantur, quando sunt crudi. Propter quod dixit Auerrhois, tertio colliget, ut supra. Item de tali digestione dixit Rhasis in libro perfecti magisterij, & Morienes & quilibet Chymista,

quod Luna & Sol à calore suaui, & temperato decocta sunt, Iupiter autem & Saturnus à calore diminuto, Mars autem & Venus à calore superfluo assatiuo & urente, Adhoc, omnia imperfecta posse conuerti in Solem tam secundum artem, quàm secundum naturam. Sed est animaduertendum quod, cum duplex sulphur sit in quolibet metallo, præterquam in auro, scilicet extrinsecum comburens, & intrinsecum non comburens, quod est de substantiali compositione argenti uiui. Ideo illud extrinsecum est separabile ab eis, intrinsecum autem nullo modo. Et quia hoc sulphur extrinsecum potest per artifitium separari, sicut & à natura, patet uere, quod non sit unitum cum suo argento uiuo, ideo non facit ueram adustionem in argento uiuo, sed in seipso, quod patet, quia ipso separato remanet argentum uiuum purum, quod non sic remaneret, si cum eo esset unitũ. Et ideo cum purificantur metalla imperfecta, in opere minori per ablationem quandam huius sulphuris, uidetur eorum argentum uiuum lucidius. Vnde de hoc duplici sulphure loquens Geber capite de procreatione Veneris, sic inquit: Ex præcedentibus itaq; sermonibus relinquitur in cõpositionibus duplicẽ fore sulphureitatẽ, unam quidẽ in profundo argẽti uiui inclusam, in principio suæ mixtionis, Alterã uero superuenientẽ, quarũ altera cũ labore tolli potest, alterã uero nullo artifitiorũ ingenio tolli posibile est, quod per ignem perficitur, ad quod posit materiæ operatio cõgrue ac utiliter peruenire, cũ iam secũ per eandẽ creationẽ unum factũ sit. Hoc experimento probatur, quia uidemus sulphureitatem adustibilem per ignem deleri, fixam uero nõ. Si igitur diximus corpora calcinatione mundari, intelligas utiq; à terrea substantia sulphurea, quæ non in radice ipsius naturæ insita est,

uel

uel unita. Quoniam unitam purgare uel mundare per ignis ingenium nõ est possibile, nisi adueniat argenti uiui medicina occultans & contemperans, aut illam de commixto separans. Item capite de coagulatione. Idem habet similiter scilicet argentum uiuum partes sulphuris naturaliter sibi admixtas, quoddam uero plus, quoddam minus, quas remouere per artifitium non est possibile, &c. Quia ergo istud sulphur extrinsecus adueniens, potest per artifitium separari à metallis, patet quod nõ sit uere unitum cum Mercurio illo, nec de ipsius substantia. Ideoq; istud argentum uiuum in ferro & ære, potest perfici in aurum purissimum, sicut argentum uiuum, stanni & plumbi, per sulphuris extrinseci separationem. Et sicut illud est fœdum, fœtidũ, & malum, ita dat tincturam fœtidam & malam. Veruntamen in hoc tantum bonitatis habet, quia ipsum est agens in materia, sine cuius actione natura non possit generare aliquod metallorũ. Ideo Geb: eius tincturã uituperans, tractatu de medicinis primi ordinis, capite de citrinitate Lunæ, dicit sic: Per sulphur etiam rubificatur Luna, sed illius rubificatio est difficilis & laboriosa immense, & tamen non resultat eius citrinatio bona, & fulgens, imo fusca & liuens, terreitate mortifera, &c. Ex quibus iam dictis æstimamus, cum ratione, quod cum lapis Philosophorum, super æs & ferrum liquefacta, proiectus fuerit, cõmiscebitur in momento cum omnibus, & solis partibus argenti uiui existentibus in ipsis, & unitur cũ eis, cum sint eiusdẽ naturæ, et perficit eas in solẽ purissimũ. Et omnes partes sulphuris extrinseci separabũtur seorsum, quia nõ sunt de natura sua. Et hæc est intentio Gebri capite de differentijs perfectionis, differentia prima, quãuis uideatur aliter dicere capitulo de præparatione corporum in generali, scilicet

Saturni

Saturni & Iouis. Argentum enim uiuum semper absq; uiolentia & labore commiscetur cum eo, quod suæ naturæ est, alienum uero respuit & derelinquit. Similiter dicimus in stanno & plumbo, & in argento, quamuis in Luna sint modice partes sulphuris extrinseci. Sed cum super argentum uiuum proijcitur hic lapis, qui cum eo, tam secundum totum quâm secundum omnes partes, sunt unius naturæ & substantiæ. Ideo totum perficitur in aurum. Videmus enim exempli gratia, in coagulatione lactis, quia coagulum coagulat solum partes sibi similes existentes in lacte, alias uero dissimiles respuit, & seorsum relinquit. Et ista substantia casealis in lacte existens, se habet, ut principium materiale, & passiuum. Coagulum uero sicut principium formale actiuum, quamuis sint eiusdem materię atq; substantiæ et naturæ. Quod autem talis adustio, sit solum in Marte & Venere, in eorum scilicet sulphure, & non in argento uiuo ipsorum, satis patet experimento ipsorum. Quia cum adurimus siue coagulamus argentum uiuum cum sulphure et facimus per sublimationem usisur ex eis, post magisterium sublimationis, alteram separamus argenti uiui substantiam ab usisur puram & mundam, ut prius & magis, quod patet, quia nulla adustio facta est in illo argento uiuo, sed in solo sulphure. Ergo eodem modo in ferro, & ęre, est existimandum. Et sic patet solutio ad dubium, sicq; est finis huius aureæ quæstionis ex Bono Ferrariensi extractæ.

De practica lapidis Philosophici.
CAP. XVI.

MAnifestum est operationem medicinæ esse operationem naturæ, ipsamq; medicinam esse eandem naturam,

ram, eo quod ipsa medicina solum est ex natura composita. Certum quippe est rem omnem ex eo esse in quod resoluitur, ut gelu ex aqua in aquam conuertitur. Sic omnis lapis noster resoluitur in argentum uiuum, per magisterium nostrum, ergo prius ipse fuit argentum uiuum. Modus aūt conuertendi ipsum in argentum uiuum est conuersio elementorum, quæ de aptitudine sua sunt ad inuicem conuersiua. Conuerte ergo elementa, & quod quæris inuenies. Quia nostra operatio, non est nisi naturarum mutatio, & eorum elementorum calidi cum frigido, & humidi cum sicco amicabilis connexio. Veruntamen non cōuertitur siccum in humidum, nisi prius fuerit factum frigidum, id est aqua. Nec frigidum in calidum, nisi prius fuerit factum humidum, id est aër. Nam transitus de extremo ad extremum non fit, nisi per medium. Elementa uero media sunt, aër, & aqua. Si ergo siccum conuertatur in frigidum, & frigidum in humidum, & humidum in calidum, & calidum in siccum, habebis totum magisterium. Modi uero regiminis adinuicem conuertentis, sunt quatuor principales: soluere, abluere, reducere & figere. Soluere est grossum subtiliare. Abluere, obscurum reddere lucidum. Reducere, est humidum conuertere in siccum. Figere, est uolatiuum supra corpus suum sistere, ut permaneat cum corpore suo. Item, soluere fit diuidendo, corrumpendo, & in primam materiam reducendo. Abluere, fit distillando, inhumando, & calcinando. Reducere fit incerando, impinguando, sublimando. Figere fit desponsando, resoluendo, & congelando. Per primum mutatur natura interius, per secundum exterius, per tertium superius, per quartum inferius &c. Soluatur ergo lapis cum Mercurio purgato optime à sua terreitate & humiditate per modū sublimationis,

& postea reducto, id est, iterũ reuificato. Purgatio uero Mercurij ipsius terreæ substantiæ superfluę est ipsum sublimare semel uel bis à uitriolo & sale, donec illius albissima sumatur substantia, quam pone in feruenti aqua, donec redeat in argentũ uiuum, post tolle ab eo aquam, & operare cum eo. Quoniam non est bonum operari cum eo, nisi prius hoc modo purgetur. Tunc in hoc Mercurio mundo, munda corpora immitte æquali lance librata, postea inhumetur in balneo maris. Veruntamen nõ misceas corpus albũ cum corpore rubeo, sed quodlibet seorsum serua. Quoniam aqua alba dealbat, rubea uero rubificat. Nõ ergo misceas aquam unius lapidis, cum aqua alterius, aut cũ alio lapide, quoniam uehementer errares. Abhinc uice post uicem contere, coque, reitera, & nõ tędeat te hoc facere. Cũ uero uideris nigredinem in aquæ superfitie eminentẽ, collige eam caute, & repone ad partem, & scias pro certo, iam lapidem tuum esse dissolutũ. Aquam uero totam distilla, per pannũ, quod in eo dissolutũ reperies reliquum ad coquendum reponas, donec totum in fuliginis modum nigrescat. Hæc aũt fiant temperato ignis gradu scilicet primo, in calido & humido ut dictum est. Si enim calor nimius affuerit, nigredinem in ruborem conuertet. Et color festinæ rubedinis, est signum combustionis. Et ideo si bene rexeris originem artis, erit caput corui. In illa namq; corpus dissoluitur, & in primã sui materiam redigitur. Et illud ideo quia dicit Aristoteles: Corpora non alterantur nisi in primam materiam reducantur. Ideo dicit Plato: Indiges quod in solutione duorum luminariũ labores, ut grauioribus partibus abiectis, opus cum leuioribus compleatur. Quod quidem fit per sublimationem. Conuerte ergo lapidem tuum in saguinẽ, id est, reduc corpora in primã materiam, id est Mercurium,

curiũ,uel aquam Mercurialẽ,& ſaguinem in aẽrẽ, & aẽrem in terrã,& habebis totum magiſteriũ. Nũc porro ad elementorũ diuiſionem procedendũ,& plenam eorum depurationẽ. Nam ignis extrahit,quod in interioribus conſiſtit, commedit enim ſordes lapidis per diſtillationem, & ſubtiliat ipſum per aẽris leuigationem. Et ideo lapis noſter in quatuor elementa diuiditur, ut magis ſubtilietur, & à ſordibus melius depuretur, & ut firmius poſtea coniungatur. Sed quanto magis putrida & digeſta, tanto leuius diuidũtur. Neceſſario ergo oportet putrefactionem antecedere ſeparationem elementorum, ut in ipſa diſſoluantur partes elementales. Accipe ergo ut dictum eſt diſſolutum, pone in cucurbitam, & impone puluerem nigrum ſupra collectũ, claude cũ alembico ſuo & recipiente ne poſsit euaporare, & ignem ſubtus applica lentiſsimũ, per menſem Philoſophicũ, id eſt, triginta dies, ut magis obſcænũ & corruptum fiat. Nam corruptio eſt ſubſtantiæ rei putrefactio, ex uaporis retentione, & ignis actione. Si enim per aẽra diſpergatur, minime putreſcit, claude ergo uas, ne reſpirare poſsit. Peracto autem menſe Philoſophico, diſtilla ſuauiter elementa quatuor, puta aquam, terram, aẽrem & ignem, quodlibet ſeorſum ponendo. Veruntamen optime caueas, ne in eorum ſeparatione nimio igne tincturam comburas, ſi enim comburitur, effectus eius priuatur. Continua ergo ſuauiter ignem, & primo recipe aquam egredientem, poſtea ignem cum aẽre mixtum, quæ duo ſeruentur in ſimul, donec diuidas, quod uero remanet in fundo combuſtum, eſt terra nigra & ſicca. Sic habes quatuor elementa, ſed nondum depurata. Primum ergo elementũ quod eſt aqua pura, frigida, & humida in natura, eſt ſepties diſtillanda, & erit ſplẽdida & clara, alba ut criſtallus.

Inhumatio autem in fine interposita inter distillationes multum iuuat, ut ad perfectæ rectificationis signum melius deueniat, quod quidem signum est splendor, & cristallina serenitas, absq; fœcibus nisi forte albis. Fœces uero quas facit aqua in sua rectificatione, omni separa uice, & repone cũ terra superius collecta. Aquam uero rectificatam, ut supra serua ad partem. Quoniam ipsa est Mercurius Philosophorũ, sal ammoniacũ, faciens matrimonium, aquæ uitæ abluens latonem, id est, terram nigram. Et cum ipsa soluuntur spiritus, & coagulantur, incerantur, & figuntur. Secundum uero elementum est aër igne adhuc mixtus, existens in se calidus, & humidus. Pone ergo ipsum in cucurbita, in aquam uel cineres, & quod distillatur, erit aër, oleum, sulphur, arsenicum alumen, anima, aurum & tinctura. Et quod in fundo remanet, est ignis siccus & ruffus, tendens ad rubedinem & nigredinem, quem ponas ad partem. Rectificatio autem aëris est eadem, sicut rectificatio aquæ, & eadem signa amborum, quæ quidem in humido distillando septies habet fieri, uel donec ad cristallinam perueniat serenitatem, absq; fœcibus nisi forte albis. Fœces uero quas fecit aër in distillatione, uel rectificatione omni uice collige, & cum supradicto igne ad partem repone. Aërẽ autem rectificatum, serua seorsum bene clausum. Cuius signa sunt gutta spissior, color nitensior, & leuitas aërea. Quia si ipsum prædictæ aquæ misscueris, supernatabit, sicut oleum. Et dicitur aër, oleum, pinguedo, & unguentum, adeps & butyrum, quod colorat, figit, & indurat res humidas, quod colorat lapides nõ bonos, redigit mulierẽ in masculum, & leprosum efficit mundũ, et dentes uacillantes facit stabilire. Tertium quoq; et quartũ elementum, sunt ignis et terra, quæ ut Rhasis dicit, in simul sunt

præpa-

præparanda, propter abbreuiationem. Et ideo etiam, ut bona sit eorum cõmixtio, & nõ confundatur præparatio, & ne adurẽtur super ignis pugnã, & ut utrũq; aliud bene tingat. Accipe hæc duo elemẽta, coniunge, & tere, & calcina bene, accenso igne, recipe caute aërẽ in illis remanentẽ, q̃a ut dicit Rhasis: Aër qui à terra tardius separat̃, pręciosior habetur. Cum uero bene fuerit calcinata, & ab omni aëre uacua, erit coloris pallidi, habilis ad prægnationẽ. Si uero spiritus, id est aër, in ea remanserit, subnigra manebit, & minus operationi conuenit. Et ideo ut dicit Plato: Oportet te pro posse tuo separationem elementorum exercere, donec non remaneat aliquid de spiritu in corpore, id est, donec nihil de aëre remaneat in terra, nisi quod sentiatur. Et signum huius erit, cum nihil à corpore euaporauerit. Cum habebis igitur omnia quatuor separata, separatione recta, tunc aëri erit appropriatum lucidum, & tingens, & corpus siccũ super quod uincit substantia terræ. Consequere ergo omni tempore, partem post partem, & cum parte, & serua singulariter eorum unumquodq;. Et hæc est elementorum separatio recta & uera, & depuratio completa. Quoniam nulla nostro operi necessaria est aqua, nisi candida, nec aër, nisi croceus, nec terra, nisi subalba & pallida. Tunc enim aqua est efficax ad soluendum, & efficax ad ingrediendum est aër, superabundans oleum ad tingendum. Diuide ergo lapidem tuum in quatuor elementa, & ea rectifica, atq; in unum coniunge, & totum habebis magisterium. ¶ Tertius igitur gradus est reductio lapidis in terram naturalem, quæ reductio per terræ contritionem fit, & aquæ super ipsam incerationẽ. Nam reductio lapidis fit per incerationem, ut in primis dictum est. Inceratio autem terræ est, cum partes terræ per calcina-

tionem humiditate priuatæ, in humiditatem reducuntur. Nam corpus ſiccum & mundum calcinatum, eſt aptum & congruum ad potandum, quoniam omne ſiccum appetit ſuum humidum. Pone ergo in uaſe ſuo terram calcinatam, & ſuperfunde aquã rectificatam, ut dictum eſt, coque igne lento per hebdomadam, & poſtea ſuauiter calcina decoctã materiam, Hinc ſuperfunde aliam aquam, ut prius, leuiter coquendo, per hebdomadam, & demum leuiter calcina, iterum repone cum noua aqua ad coquendum. Sic ſuauiter facito, donec terra ſua exhauſerit decuplum ſui de aqua. Nam omnes res aridæ aquam appetunt, quoniam ipſa tam igni quam alijs elementis alimentum præſtat, & dignum admiratione archanum. Et iſta in oleaſtro oleum, in uite, uinum producit, & per ipſam in arbore, diuerſi generis fructus procreantur. Sic etiam in terra noſtra ex aqua noſtra generatur, ipſa namq; eſt frigida, & dicitur argentum uiuum, quod in corpore magneſiæ eſt occultatũ, & in eo gelandum. Itaq; cum congelatur, cineri ſimilis efficitur, quia terra deſiccat, & aqua humectat. Et ideo pondus eſt notandum, ne nimia ſiccitas aut ſuperfluus humor, adminiſtrando corrumpat, ut uidelicet tantum aſſando decoquas, quantum diſſolutio adiecit, & inhumando diſſoluas quantum aſſando defecit. Et ideo omni uice, poſt calcinationem terræ, ſuperfunde aquam temperate, nec multum, nec parum. Si fuerit multum, fit pelagus conturbationis, Si uero parum, combureretur in fauillam. Ideo poſtquam infuderis aquã, decoque per hebdomadam, & calcina ſuauiter terram, & ita hebdomadatim, præparabis, conterendo, irrigando, & aſſando, donec totum redigatur in album. Et ſcito quod ignis lentus in hac diſpoſitione operis ſpem ſalutis promittit,

promittit, & quia terra fructum non affert absq; frequenti irrigatione, multociens irrigare, assare, inhumare huius negotij effectum constituit. Et quæcunq; emanarit incommixta, seorsum repone, alioquin omnia corrumpis. Oportet autem terram nutriri primo paruo lacte, postea maiori, sicut est uidere de infante. Ideo ablue terram, contere, & coque, donec de sua biberit aqua quantum bibere posſit, uel donec ipsa terra fuerit quasi pasta adhærens cum aqua. Ad hoc autem faciendum ignis & Azoth tibi sufficiunt. Et istud ideo, quia ut dicit Morienes: Ignis & Azoth latonem impregnant, abluunt & mundant, obscuritatem quoq; ab eo auferunt. Nam quanto magis ablutum fuerit aliquid, tanto magis limpidius apparebit, & melius. Dealbate ergo latonem & libros rumpite, ne corda uestra rumpantur. Coquite siccum terræ nigræ, cum humido aquæ suæ, donec siccum bibat humidum, & totum habebis magisterium. Quia cum aqua fuerit inspiſſata & congelata, erit terra fœtu imprægnata, & ad parturiendum prompta. Combure ergo eam, igne sicco, ut pariat filium, & custodi ipsum caute, ne effugiat in fumum. Et hoc est quod dicit Philosophus in Turba: Terram dealbate, & igne cito sublimate, quousq; exeat ex ipsa spiritus, quem in ea inuenies, qui dicitur auis Hermetis. Hunc cinerem ne uilipendas, quoniam ipse est diadema cordis tui, & permanentiū cinis, corona uictoriæ, &c. coagulum lactis. Mundare ergo est sublimare, abluere, & dealbare. Nam quod superius ascendit, est efficax mūditio, quod uero ad ima labitur, est fex, & scoria, & corruptio. Hic est ergo cinis extractus à cinere, & genitum Philosophorum, terra alba foliata, in qua seminandum est aurum. Unde dicit Hermes; Extrahe à radio suam umbram, & fecem

quæ

quæ ipsum interficit,& seminate aurum in terra alba foliata,sed illud aurum non est aurum uulgi, imo est aurum animæ,quo tingitur aurum terræ,foliatę. Vnde dicit Calidius: Nemo unquam potuit neq; de cœtero poterit tingere aurum,nisi cum auro. Plato quoq; dicit: Cum uideris unamquamq; speciẽ ex partibus operis,reduc spiritus ad corpus, & sublima illud,quod uero sublimatur ex illo,erit clarum & lucidum. Reduc super illud approbatum animæ, post hoc ut commisceantur. Nam anima est uinculum spiritus, sicut corpus est uinculum animæ. Quartus gradus est uolatile figere super corpus suum unde sumptum fuit ab initio,scilicet super calcem corporalem. Et ideo,quia spiritus,cum soluerit corpus & animam,ut existant in forma sua, non permanet fixus,nisi occupaueris ipsum. Occupatio uero est,ut coniungas ipsum cum corpore, de quo præparasti ab *initio*, quoniã in eo occupatur spiritus à fuga, ad supersistentiã corporis. Et ideo dicit Plato: Cum spiritus soluerit animã, corpus nõ stat fixum. Coniunge ergo ipsum cũ corpore, ut generet sibi simile. Nec coniungas ipsum cũ quouis ut constet, nisi de eo à quo fuit à principio,si hoc feceris,fit yccir. Et scito quod ab omnibus operantibus deficit propositum post operis complementum, si omiserit hoc secretum. Notate ergo uerba, signate misteria, quia spiritus cum soluerit terram albam foliatam, non permanet eorum aliquid fixum, nisi occupaueris ipsum cum corpore illo,de quo præparatus erat in principio. Spiritus est Mercurius, & corpus suum primum, est sulphur album & rubeum. Ideo cum spiritus soluerit corpus sulphureum,in omnibus ut dictum est superius præparatum, non figitur nisi occupaueris ipsum cum sulphure nouo, de quo præparatum erat ab *initio*. Nam

sulphur

ſulphur album & rubeum, ut docet Ariſtoteles, congelat argentum uiuum in Solem & Lunam. Coniunge ergo opus tuum cum corpore, ut generet ſibi ſimile. Si hoc feceris, erit Yccir ſuper alia corpora. Et hoc ideo, quia ut dicit Plato: Natura namq; naturam ſequitur, & natura continet naturam, & docet eam contra ignem præliare. Fac ergo deſponſationem inter uirum & uxorem, & totum habebis magiſterium. Sed pręparatio eorum, ut dicit Auicenna, eſt, ut primo uirum ex una parte, & uxorem alia parte mundes, quoniam mundati â ſordibus melius coniunguntur. Quia ſi non præparas corpora non poterunt amari. Fac ergo pacem inter inimicos uel elementa, ut conuenienti amplexu ſe diligant. Nam acutum magiſterium Philoſophorum imponit animam in calces corporum, tunc uigor ſpirituum comminuit in minimas calces plumborum. Item quando uis mittere fermentum in Elixir, prius miſce cum ſpiritibus, quoniam niſi hoc faceres, nõ imprimeretur ſua natura in ipſis. Commiſce ergo bene fermentum cum elementis, & habebis illud quod quæris. Figitur autem puluis ſublimatus ſic. Recipe illud quod ſublimatum eſt, & diuide per cucurbitas, ſeu urinalia, pro ut quantitas materiæ requirit. Et ſignum fixionis eius eſt, quando materia non plus aſcendit in alembicum, uel pone ſuper laminam ferream de corpore iſto. Etſi manet fixum non reitera. Deinde recipe urinalia prædicta æqualiter, & pone ſuper furnum reuerberationis, & adminiſtra primo lentum ignem cineritium, per plures dies, donec per talem ignem non uideris plus aſcendere, tunc modice fortifica ignem, quem continua per ſex aut decem horas, & cum nihil uideris aſcendere ſeu eleuari, circumdabis igne fortiſsimo, quem continua donec materia ſit fixa, Et eſt ſciendum, quod

ſpiritus & anima non coniunguntur uero modo, niſi calore quia tunc omnes colores mundi apparent, & firmatur tunc, & perficitur opus in uno colore, ſcilicet albedine, & ibi conueniunt omnes colores. Dealbatio enim eſt operis initium, & totius corporis firmamentum, nec deinde in diuerſos colores uariatur, præter quàm in rubeum, in quo eſt finis.

NOTA: Regimen ignis fit ſecundum naturam, & exemplum quatuor temporum. In primo tempore, ſcilicet hyeme, terra concipit. In ſecundo, ſcilicet Vere, producit herbas & flores. In tertio, ſcilicet æſtate, maturantur fructus. In quarto tempore, quod eſt Autumnus, colliguntur fructus. Sic in opere noſtro. In prima operatione Mercurius mortificatur, & totum opus uertitur in puluerem, & terra concipit ut in aliam uertatur naturam. Vnde in iſta decoctione fit nigra. In ſecunda aſcendit naturam ſuam dealbando. In tertia iam fructus apparent, ſcilicet rubedo, quæ eſt in fine operis. In quarta maturantur fructus, & ex eis colliguntur. Hæc de fixatione ſufficiunt.

De hoc lapide recipe unam partem, & commiſce cum mille partibus corporis uicinioris, & totum claude in uno uaſe firmiter & apto, & pone illud in furnum fuſionis per tres dies, donec inſeparabiliter totum fit coniunctum. Et hoc eſt opus trium dierum. Tunc ad infinitum proijcienda eſt una pars illius corporis coniuncti, ſuper mille partes cuiuſcunque corporis. Propinquiora tamen ſemper ſunt uiciniora, & illud eſt opus unius diei uel horæ. Si uero medicina uel illud, ſcilicet Elixir, non haberet ingreſſum, tunc recipe de lapide in prima operatione extracto, & Mercurij ſupradicti ſublimati ana, & ſimul miſce & incorpora in lapide terendo, & deinde in balneo diſtillando, ut melius coniungatur, poſtea

deſicca

deſicca. Et ſi uis poteris recipere aquam per alembicum, & hoc totiens reiterare imbibenbo, incorporando, deſiccando, quouſque prædicta medicina cum prædicto Mercurio præparato, incorporetur, quo facto, pone totum in urinale habens fundum rotundum, & ſuppoſito coopertorio reuerberationis, dabis ignem candelæ & cineris, per gradus ſuos, ut ſupra oſtenſum eſt. Et quando tibi uidetur, adde paulatim de Mercurio prædicto, quouſque materia prędicta figatur, & efficiatur ſubtilis, fuſibilis, pluſque cera. Dico ergo quod totius operis ſumma non eſt aliud, niſi ut ſumatur lapis in capitulis librorum notus, & cum operis inſtantia aſsiduetur ſuper ipſum opus ſublimationis primi gradus, ut à corrumpente mundetur impuritate. Deinde cum ipſo ſoluto, ſubtiliatur ipſius additamentum, album uel rubeum, donec in ultimo ſublimationis modo uolatilis fiat. Adhuc uero cum modis fixionis figatur, donec in ignis aſperitate totum quieſcat. Deinde uero fixam partem, cum non fixa parte reſeruata, per modum ſolutionis & ſublimationis uolatilem facias, & uolatile fixum, & fixum ſolutum, ac iterato uolatile, & uolatile fixum, quouſque fluat & alteret in complemento Solifico uel Lunifico uero.

COLLECTANEA

IANI LACINII

COLLECTANEORVM CHYMICORVM LIBER QVARTVS.

De transmutatione Metallorum imperfectorum, & reductione omnium in primam materiam secundum signa cœlestia.

Transmutio Mercurij in Lunam. Cap. I.



Onsidera diligenter cum Sol est in Ariete & Thauro, præcipue in primo, secundo, tertio, quarto, quinto & sexto gradu. Tũc recipe sulphuris contriti partem, & pone in uas deuitreatum super lentum ignem, & cum fluit tunc impone alteram partem de Mercurio bene purgato, & impasta cum spatula, ut fiat puluis niger, tunc amoue ab igne, & tere subtiliter cum aceto uini. Hoc facto pone iterum in patellam, & superfunde sex partes aceti, in quo antea sit solutum sal commune, alumen & cerusa, & decoque ad siccitatem, hoc reitera ter, semper coquendo usq; ad siccitatem. Postea contunde bene in mortario, & reclude in uitrum, humectando iterum cum uino, melle, & sale alkali mixto, ponendo in fimum equinum, ad uiginti dies, ut bene soluatur. Solutionem hanc rursum coagula, & contunde in mortario bene, postea superfunde forte lixiuium, & laua bene, & fac residere, postea effunde lixiuium, & pone iterum ad solutionem per alios uiginti dies, in fimo equino.

Solutio-

Solutionem hanc secundam iterum coagula & serua. Huc usq; fit labor Sole existente in Ariete & Thauro. Postea uide quando Luna sit in Libra & Scorpione, quod est quinq; dierum. Tunc recipe acetum distillatum in quo sit solutum Litargirium, cum quo tere rursum materiam coagulatam, & pone rursum ad fimum, ut soluatur per quatuor dies. Hanc solutionem rursum congela, & erit materia metallica, quam si in Lunam uis transmutare, tunc adiunge illi fermentum tali modo. Recipe limaturam Lunæ, & tere subtiliter, cum sale ammoniaco, quo facto pone ad soluendum. Solutum, congela, & puluerisa, hic puluis est tinctura massæ. Recipe ergo supradictam massam metallicam, & pone ad ignem fusionis, & recipe unam partem pulueris præparati, & proijce super centum partes materiæ metallicæ fluentis, tunc conuertitur in Lunam meliorem naturali. Hoc tamen obserua, quod materiam prædictam metallicam tingas in hora Lunæ.

Nota quod in toto artifitio huius artis limatura dicitur, quando sumitur Luna laminata, & per stratificationem salis communis præparati in furno reuerberationis posita in calcem redigitur. Deinde quod calx illa soluatur cum aqua forti nota, & rursum coaguletur.

Transmutatio Mercurij in Solem.

CAP. II.

SI primam materiam uis transmutare in Solem, tunc incipe Sole existente in Aquario & Piscibus, & procede, ut iam de transmutatione lunari dictũ est, quo ad laborem qui sub dominio Lunæ fit. In labore uero qui sub constella-

tione Lunæ fit: nota, quod hunc incipias, Luna existente in Leone & Virgine. Tinctura uero siue fermentum paretur de calce Solis, & tingatur in hora Solis.

Transmutatio Lunæ in Solem.

CAP. III.

Vide cum Sol fuerit in Libra & Scorpione, tunc procede tali modo. Recipe limaturam ut supra præparatam, uel calcem illam Solis, & tere cum sale ammoniaco & aceto bono de uino rubeo facto, ac pone ad solutionem super lapidem in cellarium, quo soluto, & rursum coagulato, tere rursum cum atramento rubeo, & sulphure rubeo omnium ana, demum pone sub fimo per quadraginta dies, tunc cum solutum fuerit, rursum coagula in igne lento atque suaui. Postea uide quando Luna est in Ariete & Thauro, tunc rursum tere cum auripigmento. quo facto pone ad soluendum in cellario. Solutum uero coagula & tere, & sic tinctura tua præparata est. Huius recipe unam partem, & proijce super quadraginta partes Lunæ, & conuertit eas in Solem. Et nota quod tingas in hora Solis.

Transmutatio Veneris in Lunam.

CAP. IIII.

Vide cum Sol erit in Sagittario & Capricorno, tunc recipe limaturam supradictam, & tere subtilissime, super lapide cum sale ammoniaco, tartaro, arsenico, & Cerusa omnium ana, Hoc facto pone ad soluendum in cellario, cum

cum aqua salis ammoniaci, postea coagula, et cõtunde, et superfunde acetum distillatum, & pone sub fimo per quadraginta dies, demum rursum coagula. Postremo uideas quando Luna sit in Geminis & Cancro, tunc tere materiam bene cum Salenitro, & pone iterum ad soluendum, solutionem rursum coagula & puluerisa. Huius pulueris pars una cadens super sexaginta partes Veneris, tingit eam in lunam. Et nota quod tingas in hora lunæ.

Transmutatio Veneris in Solem.

CAP. V.

CONsidera quando Sol fuerit in Aquario & Piscibus, tunc recipe limaturam Solis, scilicet calcem, & tere hanc cũ sale ammoniaco, & pone ad soluendũ, atq; congela. Demum rursum tere cum atramento rubeo & sulphure rubeo, & pone sub fimo per quadraginta dies, sed antea superfundas sex partes aceti uini, tunc recipe & coagula. Postea uideas quando Luna est in Leone & Virgine, tunc tere rursum materiam cũ auripigmento & sale ammoniaco, & pone iterum ad soluendum, & rursum coagula, & tere. Huius pulueris una pars cadens super quadraginta partes Veneris, tingit eum in Solem. Tinctura fiat in hora Solis.

Transmutatio Iouis in Solem.

CAP. VI.

OBserua quãdo Sol est in aquario & Piscibus, tũc procede cũ omni labore, sicut in Luna fecisti. Cõsidera simili

modo,

modo, quando Luna sit in Leone & Virgine, tunc procede quoq; ut supra in Luna fecisti. Sicut enim Lunam transmutasti in Solem, sic & Iouem tinge in Solem in hora Solis. Pars una tingit quadraginta partes Iouis in Solem.

Transmutatio Iouis in Lunam.

CAP. VII.

SOle existente in Ariete & Thauro, recipe limaturam Lunæ, tere bene cum sale ammoniaco, & pone ad soluendum, & rursum congela, & tere, hoc facto superfunde acetum distillatum, in quo sit solutum sal commune, alumen, & uitriolum, & pone sub fimo per quadraginta dies, tunc congela, demum pone iterato in cellario ut soluatur, & rursum coagula. Postea uide quando Luna sit in Libra & Scorpione, tunc tere rursum materiam cum salenitro, & pone in cellarium ad soluendum, & rursum coagula, & tere. Huius una pars, cadit super centum partes Iouis, tingens eum in Lunam.

Transmutatio Saturni in Solem.

CAP. VIII.

VIde cum Sol fuerit in Leone & Virgine, & Luna in Aquario & Piscibus, tunc operare ut cum Luna, & sicut conuertisti Lunam in Solem, sic & Saturnum. Tingatur in hora Solis. Vna pars cadit super decem.

Transmutatio Saturni in Lunam.

CAP. IX.

COnſidera quando Sol eſt in Libra & Scorpione, & Luna in Ariete & Thauro, tunc recipe limaturam Lunæ, tere cum ſale ammoniaco ad ſoluendum, & coagula, & pone rurſum ad fimum per quinquaginta dies, & iterum coagula. Huius una pars cadit ſupra quadraginta partes Saturni in Lunam. Hora uero tingendi, eſt hora Lunæ.

Tranſmutatio Martis in Solem.
CAP. X.

VIde quando Sol eſt in libra & Scorpione, & Luna in Ariete & Thauro, & procede eodem modo, quo in tranſmutatione Lunæ in Solem proceſsiſti, ſic quoq; Martem in Solem tranſmutas. Tinge in hora Solis. Vna pars cadit ſuper quadraginta.

Tranſmutatio Martis in Lunam.
Cap. XI.

VIde quando Sol eſt in Sagittario & Capricorno, & Luna in Geminis & Cancro, & procede omnino ſicut in Luna. Huius una pars cadit ſupra quadraginta partes Martis, tingendo in hora Lunæ.

De Tranſmutatione corporum in Mercurium, & primo de Luna.
Cap. XII.

ITem, ſi uis Lunam in Mercurium tranſmutare, tunc uide quando Sol eſt in Leone & Virgine. Tunc recipe limaturam Lunæ, id eſt, calcem, ut ſupra, tere fortiter illam,

cum sale ammoniaco, & superfunde sex partes aceti, & decoque usque ad siccitatem, & hoc fac ter. Postea recipe iterum acetum, in quo sit solutum sal ammoniacum, alumen, uitriolum, salenitrum, & superfunde ut impastetur, & pone in fimum ad sexaginta dies, demum extrahe & exsicca. Postea uide, quando Luna est in Aquario & Piscibus, tunc iterato superfunde acetum, in quo præcedentia sint soluta, & pone in fimum per quadraginta dies, & conuertetur in Mercurium.

Transmutatio Veneris in Mercurium.

Vide quando Sol est in Libra & Scorpione, tunc procede omnino ut supra, postea procede cum secundo labore sub dominio Lunæ, ut supra. Luna existente in Ariete & Thauro.

Transmutatio Iouis in Mercurium.

Vide quando Sol est in Sagittario et Capricorno, et cum Luna est in Geminis et Cancro.

Transmutatio Saturni in Mercurium.

Vide quando Sol est in Geminis et Cancro, Luna uero in Sagittario et Capricorno.

Transmutatio Martis in Mercurium.

Obserua quando Sol est in Leone et Virgine, Luna uero in Aquario et Piscibus.

Transmutatio Solis in Mercurium.

Vide cum Sol est in Libra et Scorpione, et procede omnino sicut supra de Luna etc.

Sequi-

Sequitur metallorum in melius mutationum
Typus, methodusq́;.
Cap. XIII.

ARtis generandi M uel Q, nonnulla ſunt principia quædam, quæ ſola cogitatione atq; intellectu compræhenduntur, ut Chaos, Alteratio, Potentia, Operatio, Generatio et Digeſtio. Quædam ſenſibilia tantum, ut uinum uel materia prima, corpus ſiue forma, Elementa, Perfectum ens, Venenum informans, Colores, Fermentatio, Separatio, Quædam tam intellectui quàm ſenſui patentia, ut coelum.

A. EX CHAO primum tanquam è tenebris exit idoneus artifex, ſeq́; inter hanc rudem confuſaḿq; et indigeſtam elementorum molem, et principia reliqua ad M uel Q incedentem cognoſcit, quo ad per B. C. D, perq́; naturam ipſam ſubſequentia primordia illuc perueniat.

B. MATERIAM accipimus eam ex qua agente extrinſecus artifice, oritur D. dum metalla imperfectiora ſub M uel Q immutanda. Item C et D, qua patiuntur.

C. FORMA uero eſt ut artifex principijs his adminiſtrans, et eadem conſiderate mouens, Eſt etiam id, quod ipſi M uel Q, præſtat, quo ipſa ſint et exiſtant, quoue, & quodcunq; ex T. S. V. Z. libuerit in X uel Y, tranſmutet.

D. COELVM eſt uis fœminea à qua maris progenitura recepta, nutritur, et creſcit, quouſq; in M uel Q omnino mutetur.

E. ELEMENTA proficiſcuntur de B in D, & per C. F. G. H. I. permiſcentur uiciſsim.

F. ALTERANT, C in D, & D in C primum, deinde paulatim inuicem conuerſa in M uel Q feruntur. Eſt & F potentia qua ipſius D eſt actus in quo & de quo, & qui cum, & per quem, uniones ipſi ab arte ſunt, & generantur.

G. MISCENTVR, C cum D tantum, quare illud propertianum: Maſculus & tota fœmina coniugium.

H. DISSOLVTIONEM, dicimus partim, qua ex C & D fit M, partim enim, qua Q ex M & D, ſed ita ut hęc in uaſculo conſtituta, à natura magis quàm ab arte adminiſtrante proueniet.

K. COLORVM, primus niger, qui ut primo, ita difficilius cœteris apparet, oſtenditq; concubuiſſe D cum C, & concepiſſe. Et proculdubio optatum M uel Q oriturum. Candidus alter, quo C ad M, & inde ad Q, ſenſim progreditur. Tertius croceus, per quem apparet iam in unum cuncta conſtitui cæpiſſe, quod ſemen in omni D, per minima quæq; diffuſum eſt. Quartus ruber, qui M uel Q, iam orta manifeſtiſsime demonſtrat.

L. DIGESTIO eſt, quæ conceptum igne extrinſecus mouente, & opitulante, conſequitur, ut ex C & D, M, uel ex M & D, Q perficiatur.

O. SEPARATIO eſt, in his quæ elementa appellantur, quæ de B & item D orta, ab eiſdem quoq; ſeparantur.

P. OPERATIONEM intelligimus, uel ea quæ à B & reliquis principijs in M uel Q generandum protenduntur, uel quæ ab M, uel Q, in deputanda immutandaq; metalla ac etiam in continuo informanda proueniunt.

M. PER-

M. PERFECTVM ens inter principia ideo commemoramus, quod, tametsi id ipsum est quo ex C D. per E. F. G. H. . K. L. O. P. tendimus, formæ tamen & efficientis causæ rationem habet, cũ ea quæ diminuta sunt ad aquam reducit & perficit.

N. FERMENTATIO est in Q ex M admirandus transitus, qua in re diuinus pene artifex necessaria fore G. H. F. L. I. D. arbitratus, cum D C & M in G. constituerit, continenter eadem lentissimo fouebit igne, quo ad per H. F. L. I. in K. peruenient, nullaq; in re opera minori, sed eisdem fere gradibus existens, & insistens conabitur, ut multo maiore, & uirtute & quantitate, quàm M sit ipsum perfectissimum, Q. uenenum oriatur. Quamobrem cum semel nobis diuinitus concessum, (nam aliunde speret nemo) perpetuo hoc augeri poterit, non tantum magnitudine, sed in ui uires excrescent quoq; infinitas. Nec opus erit M iterum diuturnis laboribus repetere, quod ut in humanis maximum quid uideri potest, ita ex his etiam qui M, composuerunt assequuti sunt pauci.

Q. VENENVM itaq; informans, est ex omni parte perfectum, hoc est æquis elementis undiq; compositum. Quapropter ut dictum est, multo perfectius est quàm M. & in uirtute excellens magis. Nam præterquam quod bifariam inficit, & informat immutatq; sui ipsius speciem primam, deinde in X uel Y pene infinitum. Est etiam ægritudinum hominum cum animi tum corporis efficax medicina, quippe quod perturbationes omnes expellit, bonosq; uiros, id est alieni non inuidos efficit, similiter & conseruat. Corporeos autem humores, si qua excesserunt, adæquat, & cõstituit, imbecilleq; senectutẽ, ualentẽ inducit et cõfirmat.

¶ FAC mixtionem cum una parte x & duodecim partibus aquæ nostræ, & tere subtiliter, deinde ponas in uno urinali, non nimis alto, & superpone alembicum, & perluta bene totum urinale & alembicum cum omnibus iuncturis, usq; ad nasum alembici, & permitte bene siccare, tunc pone super furnello non cum cineribus, sed super ferrum, ita ut totum urinale intret usq; ad alembicum, & claude cum luto diligenter circum circa, inter furnellum & urinale, tunc incende ignem, scilicet qualem tu scis, & ueniet per alembicum oleum simul cum aqua, & stabit supra aquam in colore citrino. Et sic continua ignem donec tota aqua distillauerit, tunc permitte infrigidare, & extrahe recipiens uas, & separa oleum ab aqua, & aperi urinale, & inuenies corpus aliquantulum durum, tamen frangibile & conteribile. Et si uis reitera distillationem, & fac per omnia, ut supra dictum est, fundendo super corpus eandem aquam, uel aliam, & distilla, & non exibit tantum quantum prima uice, & tertia uice quasi nihil, & corpus remanebit in puluere non bene nigro, quod calcinabis hoc modo. Si de corpore erit untia una, superfunde untias tres Mercurij, & tere simul, ut fiat amalgama, sicut butyrum, tunc pone in scutella uitrea, & perluta eam à parte exteriori, & ponas super tripode super leuem ignem trium uel quatuor carbonum, & semper misce cum baculo ligneo, & caue te, & liga os, & nares, quia fumus eius destrueret dentes. Et sic perseuera miscendo, donec totus Mercurius exiuerit, & remanebit corpus subtilius, & magis nigrum, tunc pone in botiuncula, & superfunde tantum de oleo supra dicto quod madefiat, & claude uas, & da ignem luminis per tres dies, & siccabitur, & terra incipiet aliquantulum albescere, tunc super-

funde

funde aliud oleum, ut prius, & iterum cum eodem igne siccabitur, & erit albior, & sic tertio. Quarto autem erit in tanta albedine, quod uidetur uelle uisum aufferre, lucens sicut Perlæ orientales perfectissimæ. Deinde procede cum aëre nostro, sale, & gummi, quæ fient unum. Ignis tamen temperatus non nocet, sed melius in fimo. Verum cum operæ pretium sit aliquibus artibus nō tantum cognitio, sed aliud quoddam quo intelligatur propositum in conficiendo opere, rationem quandam, quam practicen appellant, prosequi tentemus, hanc, & partem, ut subiectum tantum materiæ patitur, aperire. Simplici ergo C quadruplex D per G primum misceto, & in uitreo uasculo ad id quàm optime conflato, componito lentissime, dehinc os illi claudito, idque tenuissimo igne super imposito, continue excoquito, donec C per H in F. & item ad I, peruenerit. Et pro signo tibi erit, color niger, quem tamen non atramenta, sed potius punica mala præmatura imitantem uidebis, quod cum intueberis, scito. C. D. per H. F. I. & P. expatiari, interq; C & D, indissolubile fœdus conflatum, inuicemq; eosdem in seipsos conuersos, calore uero eodem extrinsecus continuante, C. D in L & I. ingressi, ad M, usque per K contendent. Quandoquidem color ille niger, nescio quo pacto, paulatim uertitur in candorem, dehinc in K croceum, postremo in prætiosissimum ruborem, quo habito, ab H. hoc est nigricante colore, adhuc usq; in terminū dies omnes dinumerato, eorumq; summā duplato, tantundemq; etiā M ipsum iam ortum, uiuatiore igne suauiter foueto, quē recluso post hoc uase, reuerenter accipito, & à sordibus si quæ fuerint, mundato, ac cum eundem iterum paulo uehementiori igne totos sex dies habueris, diligentissime tibi, & amicis, in usum seruato,

Bis

Bis mille etenim partes in propriam uirtutem naturamq; mutabit. Cum uero ex M faciendum Q curabis, untijs tribus D & uni C, drachmã M, adiungito, totumq; in igne temperatissimo, dies triginta excoquito, & per K transito donec perfectum Q uideris, rotundum & rubentem. Vel si ad lunã fuerit, metallico candore infecto. Differunt namq; ita K & M, rubeus & candidus, & utrumq; Q, inuicem ditat. Albicantis etenim M, primus uiridis rubore insperius extabit, Secundus croceus nonnihil, & splendide rubens, Tertius niueus & metallicus color siue candor, qui ter mille partes, S & T, Z, in suam ipsius speciem & uirtutem mutabit, gignetq; C. si tibi id uidebitur, ex se quoq; ualentissimum. Quibus adeptis et perfectis, artificum omnium te maximum putato consequutum esse, Deoq; maximo & optimo gratias semper habeto.

S	PLVMBVM.
T	STANNVM.
V	FERRVM.
X	AVRVM.
Y	ARGENTVM.
Z	ÆS.

Sequitur nunc Epithome Raimundi.

Raimundus alia processit uia multum subtiliori quàm Arnoldus, qui suus in hac arte fuit præceptor, diuisit in elementa, & subtiliauit spiritus & corpora, & cum ipsismet principijs naturæ, cum quibus Arnoldus operabatur, solum alia uia depurando illa subtiliando & coniungendo, ac demum fixando, nimium ampliauit medicinarum modos. Ideo ait, Si uijs meis non es contentus, elige tibi breuiorem, præcepta

præcepta tamen mea illis applicãdo &c. Porro dicit: Quæsiuisti quis trium lapidum utilior, breuior, nobilior, & efficatior sit, sicut plane alijs meis in libris hoc declaraui, tamen ut petitioni tuæ satisfaciam, dico uiam mineralium longam & periculosam fore. Tota enim uia mineraliũ consistit in duabus aquis, quarũ una facit lapidem uolatilẽ, sine labore & periculo, alia aũt eum fixat, & cum illo fixatur cum periculo. Quia hæc aqua extrahitur ut nosti, ex quodam menstruali fœtenti in massato, ex rebus quatuor, & fortior est omni aqua mundi, cuius spiritus solam tincturã ampliant fermenti. Et maius periculum est, ne in ablutione spiritus auffugiãt cum ingenio laborantis: iste lapis cum breuiori tempore, & cum magna fortitudine conuersionis producitur.

Lapis animalis est ille, qui non habet finem propter regere elementa, in quo maior est scientia, quàm in alio lapide. Et quia ibi possunt maxima secreta naturæ extrahi non solum quoad lapidis compositionem, sed etiam quo ad cuiuslibet rei in alteram transmutationem, ut hoc in Apertorio declaraui. Vnde effectus istius lapidis est infinitus.

Lapis uero uegetabilis quanquam longus sit supremæ compositionis, debet tamen sequi lapidem animalem, quo ad elementorum rectificationem, & si sic præparatur eius effectus. Sed Elixir magnum in uegetabili, ita accurtare potes, quod mirabile uidetur, cum tanto transmutationis effectu, ut omne transmutatũ per lapidem uegetabilem, naturam in uirtute bonitatis, & magnitudinis, transcenderet, propter quintam essentiam, de qua lapis impregnatur, quæ in mundo mirabilia facit. NOTA. Omne aurum Chymicum ex corrosiuis fit, & ex quinta essentia incorruptibili, quæ cum fermento fixatur per ingenium artificis. Talis autẽ quinta essentia est

quidam ſpiritus in lapide minerali mortificatus, & ueneficatiuus. In animali aũt lapide, aliquãdo etiam eſt ſumma medicina corporibus humanis, ut ſi ex ſaguine humano extraheretur. In uegetabili aũt lapide ipſe ſpiritus quintæ eſſentiæ eſt reſtitutio iuuẽtutis & cõſeruatio corporis humani ab omni corruptiõe accidentali. Et ſic ut ſcis ſpiritus quintæ eſſentiæ, eſt ille qui tingit & tranſmutat, ſi cũ debito fermento impaſtatur. Et ſummũ, & nobilius, & efficatius, utiliuſq; opus eſt uegetabiliũ. Quæſiuiſti etiã de accurtatione: Dico quod omnis accurtatio eſt diminuẽs â perfectione. Quoniã medicinæ quæ per accurtationẽ fiunt, minorem effectũ tranſmutationis habent. Accurtatio lapidis mineralis poteſt eſſe multiplex, ſed mihi uidet̃, ut effectus eius nõ diminuatur, tũc poſt primã calcinationẽ, & putrefactionem, quæ fiunt per primã aquam bene limpidã, & clarificatam 20. diebus, minori aũt tẽpore nil fieri poteſt. Poſtea ſeparetur puluis coloris ſaguinis, & diſtilletur ſecũda aqua, cũ magno ingenio ſpiritus euadãt, ſcilicet ſecundũ ingenium datũ in teſtamento. Et accipe ſaltẽ ultimam partẽ aquæ, poſt rubificationẽ alembici, & in ea aqua ſolue pulueres, locando in aquã calidã, & ibi cooperto uaſe perſeueret die ac nocte una, poſt ſolutionẽ. Poſtea ſuppone alembicũ, & diſtilla in balneo totã aquã, donec non remaneat niſi quantitas aquæ in quãtitate puluerũ, hanc aquã diſtillatã abijce, quia nihil de ſpiritu debet habere, reliqua uero, quæ remanſit cũ corpore, uaſe bene clauſo in cineribus calidis, cõgela, qua cõgelata fac aliam aquã, & ſuperfunde, & procede ut dictũ eſt diſtillãdo, & cõgelando, & hoc cõtinua uſq; ad decẽ uices, ſic eſt lapis cõpletus, niſi eius uirtutẽ augere uelis in quantitate. Poſtea procede ſoluẽdo & cõgelando totiens donec cõgelari tibi placet, uel donec amplius corpus

conge-

cõgelari nõ poteſt. Et ſcias q̃d in qualibet congelatiõe decẽ cõpletis ablutionibus, ut dictũ eſt, corpora in certa quãtitate cõplete tranſmutat in Solẽ, hanc medicinã in 80. diebus ad maximũ cõplere potes. In animalibus non uideo accurtatio nẽ aliquam, niſi ut terra cũ igne regatur, & ſecunda aqua cũ aëre, & idẽ ualebit, & eſt accurtatio medij tẽporis. ¶ Nunc ad uegetabilia uenio, ubi eſt principale intentũ, & ſecundum ingeniũ magis ſecurũ. Quia ſemper timetur in minerali, ne ſpiritus in ablutione auffugiãt, propter aperire uaſa, hic non eſt timendũ, quia uas ante fixationem non aperitur. Et ut te magis ad uegetabilia teneas, tibi hoc ſecretũ reuelabo. Accipe nigrum nigrius nigro, & ex eo partes decem & octo, diſtilla in uaſe argenteo, aureo uel uitreo, per modũ dictum in teſtamẽto, & in prima diſtillatione ſolũ recipe partẽ unam cum dimidia, & hanc partem iterũ pone ad diſtillandum, & eius recipe quartam partẽ, & tertio diſtilla, & duas huius recipe partes. Et in quarta diſtillatione parum minus quàm totum. Et ſic diſtilla illam partem uſq; ad octo uel nouem uices, poſtea habeas duo uaſa facta ad modum picturæ geminorum, quorum quodlibet habet alembicum annexum, & in uno alembico ſit ingenium ut botia intret, & ſit æqualis ſpiſsitudinis, ad unam palmã. Hæc aũt ratio eſt, ut firmiter poſsint in ſimul collocari. Pone ergo in qualibet Botia librã unam huius aquę, & untiam unam fermenti bene & optime purgati, & foliati. & habeas furnũ cum ingenio factum, ubi ignis carbonũ poſsit tantũ per brachia ipſius furni temperatũ æqualem atq; continuum calorem partiri, ubi colloca tua uaſa, & fac ignem. Et eſt hoc ingeniũ excellentiſsimũ, quia hic ignis non poteſt fieri maior quã neceſſe eſt. Tunc enim quando ampullæ ſentiũt calorẽ, ſtatim ſoluitur fermentum,

tunc liga circumquaque cannis alembici spongiam, quæ tamen cannæ sint amplæ circa alembicū & bene spissæ, & ubi intrant uasa sint strictę, & illas spongias tene continue madidas, cum aqua frigida. Et solutione completa, continua ignem, & uidebis ascendere fermentum totum solutum cum aqua sua, & distillabitur de uno uase in aliud continue. Et cum hoc ingenium apparenter uidebis, qualiter quælibet libra, bis distillatur in die, & bis in nocte, & remanet continue una libra in quolibet uase. Quia quantum ascendit in uno uase, tantum intrat de alio. Et cū sic uideris ascendere & descendere cum æquali igne continuè, uidebis qualiter ratione caloris inspissatur & subtiliatur spiritus, & hoc est miraculum huius artis. Quia si diu distillaueris ita continue, semper aqua ascendit in gradu subtilitatis, & acuitatis, & continue propter fermentum inspissatur. Ergo quanto leuiori igne fit distillatio, tanto erit subtilior spiritu & fortitudine, & ingrossatur fermentū. Hunc aūt modum tene usque ad uiginti duos dies, & inspissatur quinta essentia huius aquæ benedictæ, sic, quod amplius non ascendet, sed cum fermento fixabitur, & in lapidem conuertetur. Et cum uideris hoc, ambo uasa extrahe simul, & loca in fimo uel balneo. Et iterū statim in una nocte soluentur, tunc coagula, & hoc facias ter, & amplius lapis manebit in Dei uirtute, & potentia exaltatus, quod bene congelari non potest, quoniam ut oleū uidebitur aliqualiter inspissatum, & hic est prætiosior modus omnibus.

Tamen scire debes, quod si fermentū album posueris, in decem diebus cōgelabitur quinta essentia super eo, quod est res multum grossa, & terrestris, & firma est in Luna. Sed nō ita cito soluitur post cōpletionem fixiōis quintę essentię, sicut in Sole. Vnde quasi in fine cōplemēti, tēpus nō est diuersum

in albo

in albo & rubeo. Et Deus nouit quod hic modus in effectu subtilitatis & uirtutis & bonitatis cunctis operibus mundi est subtilior, & melior, quamuis illas proprietates elixir non habeat, quas Philophi elixir habere affirmant, puta, si hanc medicinam completam miscueris cum quouis metallo, & postea hoc metallũ metallo, scilicet quod transformatio fieret secundum primũ principium, si iungeres medicinã lunarem cũ Luna & istam Lunã Soli, quod Sol in Lunã conuerteretur. Hæc proprietas in nostra medicina sic cõfecta non reperitur. Quia iam quinta essentia quæ totũ lapidem componit quo ad eius motum & tincturã, est fixa, & firmata in fermento sibi adiuncto, & fixatur semper atq; firmatur secundum fermentum sibi adiunctum, sic quod facit transmutationem secundũ hoc fermentum. Sed si uelis medicinam componere uniuersalem breuiorem, secundũ modum dictũ, non oportet te fixionem facere quintę essentiæ, super aliquo metallo alio, sed super propriam suam terram, & tunc cum metallo coniungere, tamẽ hoc mihi nunquam placuit. Quia talis fixio, est multum periculosa & longa, & raro terra propria est bene naturalis. Et si bene naturalis esset, tamen effectus ipsius post complementum, esse nõ inuenitur tantæ potentiæ, sicut hic, quando quinta essentia super altero fixatur fermento, ubi cito fit fixio, & effectus citius & fortius. Si causas scis, ut puto, quare medicina transmutat, me uerum dicere affirmabis. Tene ergo hic te, & meũ ingeniũ tibi notũ feci.

Et scias quod peracta decima distillatione, si in ea aqua solueris aurum, & postea euolare permiseris aquam lento igne, & aurum demum in humido loco uel balneo dissolueris, soluitur enim per se in quatuor diebus. Et hæc solutio est aurum potabile habens infinitas uirtutes, ut in libro conser-

uationis humanæ uitæ scripsi. Insuper si cum auro sic soluto bene immiscendo impastaueris Mercurium septies sublimatum cum Vitriolo, & si fuerit una pars auri, septem sint argenti uiui sublimati, & si postea sublimaueris impastatum aliquibus uicibus, semper sublimatum super fœces reducendo, fixabitur Mercurius in medicinam penetrantêm & tingentem. Item aliud miraculum, si untiam huius Solis sic soluti, per se ponas in igne lentissimo octo diebus, cum centum partibus Mercurij, congelat totum in Solem. Hæc sunt mirabilia naturæ, & tamen hoc totum uenit ex parte spiritus aquæ, quæ in solutione auri cum auro inseparabiliter fixatur. Et postea per ingenium altum poteris miscere modos mineralium, & uegetabilium, & medicinam altam hoc modo, uia breui componere. DISTILLATO lapide uegetabili usq; in eam distillationem quod tota aqua sine flegmate sit, & hoc in quinta uice contingere solet. Tunc habeas optimi Vitrioli bene lucidi & optimi, & Cinaprij, in æquali pondere, & simul miscendo optime tritura, & in sole sicca, & postea circum circa carbones pone, sic quod uideatur tibi quod tota aquositas exiuit, Tunc cum sic est, projce intra aquam tuam, & distilla bene, lento igne in principio, & in fine forti, ut moris est in aqua Philosophorum acuta. Et sic spiritus quintæ essentiæ uitrioli & Cinaprij uel anthimonij qui principaliter lapidem mineralem constituit, miscetur & coniungetur cum spiritu quintæ essentiæ, aquæ nostræ ardentis benedictæ, qui spiritus est anima lapidis uegetabilis, ut tibi notum est. Et hoc continua usq; ad decem uices, puta à quinta distillatione incipiendo, et sic cũ istis corporibus cõtinua distillationẽ quinquies. Et firmiter habeas in mente, quod oẽs res tuæ optime sint siccatæ & aridæ, ante-

quam in aquã proijtias, sic quod tota aqua sit exsiccata, & solus spiritus remaneat, qui propter fortitudinẽ ignis, spiritui aquæ ardentis cõiungatur & in qualibet distillatione nouas res imponere debes. Cum aũt perfeceris decimã distillationem, cõputando à principio distillationis aquæ ardentis, impone aurum in pondere, ut supra dictum est in uegetabili per se. & loca in furno componendo singula, ut dictum est ante, tunc uidebis mirabilia. Quoniam in decem diebus completur fixio, quæ in simplici uegetabili in uiginti quinq; diebus non completur, uel uix. Et hoc est, quia unus spiritus ingrossat alium. Et quia spiritus quintæ essentiæ uitrioli, est magis spissus & grossus, quàm spiritus aquæ ardentis, & etiam quia magna est concordantia inter spiritum uitrioli & naturam auri, quia ambo ex eisdem principijs, cum mineralia sint, trahant originem, Ideo spiritus uitrioli coniunctus spiritui aquæ ardentis, inspissat eum, & adhærere facit cito auro, ut secum fixetur. Et crede mihi, quia hæc accurratio est præexcellens in arte, quantum ad aurum Chymicum, non tamen quantum ad uirtutem medicinalem. Animaduerte ergo, quia multi Philosophi dixerunt infinitas præparationes, puta calcinationem, solutionem, &c. & hoc totum ad finem, ut spiritus quintæ essentiæ bene posſit coniungi cum fermento. Et fecerunt multas reiterationes, ut spiritus iam coniunctus corpori, in alia operatione eam fortificaret, per alium spiritum, & sic fecerunt unam aquam, & calcinabant spiritus, & dixerunt spiritum adhærere, & fecerunt aliam, & soluebant, & iterum coagulabant. Et sic se fatigauerunt multis diebus, antequam aliam medicinam producerent. Et hic tibi notum est, qualiter hoc, quod ipsi diuersis

operatio-

operationibus & maximis periculis quæsierunt, hic multo meliori ingenio, puta una actione, cōpletur. Et necesse est hanc medicinam esse optimam, & meliorē, quâm si per suos modos expleretur. Quoniam in singularibus aquis pauci sunt spiritus. & quando agunt, agunt solum in extremitates, & alij spiritus cum illis fixantur, & res grossæ, sic: quod medicina aliquando sit fugitiua. Quia spiritus non sunt in intimis fermenti, sed in extremis, ubi spiritus fixari non possunt. Ideo sic facta fixione, procede per solutionem, per se in balneo, ut dictum est in Vegetabili. Sed sciendum quod hic lapis ex mixtis, non soluitur ita cito per se, sicut uegetabilis, tamen citius soluitur quàm mineralis per se. Et sic tenet medium, & solutio eius est in nouē diebus. Et oportet reiterare has solutiōes quę fiunt in balneo per se aliquoties & coagulationes, ut medicina plus penetret. Quia medicina bene penetrans & fixa est, quæ bene transmutat, & quanto plus penetrat, citius corporibus cōiungitur, & exit maius elixir. Iam omnia breuissime modo possibili tibi scripsi. Sed ut omnia breuissimo modo mihi possibili scribam, scire debes, quod ex plumbo nigro Philosophorū, extrahitur quoddam oleum aurei coloris uel quasi, cū quo si lapidem mineralē uel mixtū, uel animalē post fixionē primam solueris, bis uel ter, tribus aut quatuor diebus, excusabit te ab omni labore solutionū & coagulationū. Ratio est, quia hoc est oleum occultum, quod facit medicinā penetrabilem amicabilem & coniungibilem omnibus corporibus, & augmētat eius effectum ultra modū, sic quod in mundo hoc secretius eo nō est. Vnde mirabilia dico, quod omnibus Philosophis antiquis uideretur incredibile, scilicet, si sciueris hoc bene ab aqueitate separare, & in illo laboraueris ex modo mixtionis iam dato,

poteris

poteris in triginta diebus lapidem componere. Hoc autem oleum non est necessarium in uegetabili per se, quoniam solutiones ibi & coagulationes, ut dictum est, cito fiunt. Tamen si fuerint sublimationes ibi, credo tincturam lapidis multum ampliari, non puto accurtationes aliquas esse, quas iam ista parua Epistola, tibi certissime non declaret. Elige ergo ex ea intentum tuum, laudans Deum semper.

Methodus Lacinij super iam dictam Epistolam Raimundi.
Cap. XIIII.

NOn me latet difficillimum opus aggredi, si Lullij Epistolam nunc exponere uelim, nam discolis illis, qui nimium sibi assumunt, placere esset impossibile. Et si omnibus placere non possum, paucos ne derelinquam? Dicam igitur quæ sentio, & ex bonis authoribus collegi. Et primo notes uolo, omnia ipsius Raimundi opera, isto suo sale uegetabili, ferè esse plena, quod sæpissime Mercurium uegetabilem, aquam uitæ, menstruum, & saguinem menstrualem appellat, dicitque quod habet corporis proprietates, & producitur ex semine tanquam ex fœmina, estque nutritiua & generatiua, & crescere facit duram, Solem & Lunã, deducitque ea in actũ, scilicet quousque in lapidem conuertantur. Si igitur facit crescere aurum & argentum, clarum est, quod fiet hoc mediante eorum solutione, per consequens ergo soluit corpora, quæ tamen debent ante Physice calcinari, solui, & in naturã spirituũ reduci, & tũc ipsa uocitat foliata. Opus tamen hoc non fit cũ uegetabili, ut multi fatui putãt, sed fit cum rebus sui generis, ut ipse Raimundus in suo codicillo amplissime demonstrat. Ideo hic dicit Raimundus, quod tota uia mineralium consistit in duabus aquis, quarum una facit lapidem uolatilem, & iam dixi tibi in præcedentibus, quod Chymistæ uocant lapi

dem illud quod non euaporat ab igne. Opus est ergo talem lapidem facere uolatilem, & cum alia aqua ipsum fixare, quæ secum etiam ipsa figitur, per ingenium artificis, uti ipse hic loquitur, quod hæc sua quinta essentia cum fermento fixatur. Nam quinta essentia, quæ totum lapidem componit, quantum ad eius scilicet modum & tincturam, fixatur & firmatur secundum fermentum sibi adiunctum sic, scilicet, quia faciet transmutationem secundum illud fermentum. Posset tamen fixari quinta essentia, super propriam terram, & illam coniungere metallo, & hoc Raymundo non placet. Quia quando fixatur super altero fermento sit illud A uel B tunc tale opus fit citius, & effectus eius erit fortior, & magis naturalis. Similiter de isto sale loquens Rhasis in Lumine luminum ait: quod scilicet sine isto sale, quem ammoniacum uocat ipse, impossibile est finem huius scientiæ possidere. Confirmat hoc Vincentius historicus in suo speculo Philosophiæ naturalis dicens; Ampliantur enim tincturæ metallorum, sale mediante, quomodo autem hoc fiat secretum est. Raimundus tamen in plerisque locis docet modum. Et cum tali menstruo atque sale, extrahit à metallis animas, quas sulphur naturæ appellat, easque per ignis expressionem à suis terris uolare facit, ad latera uasis, tanquam folia talci, & uocat sæpe illud quod euolauit metalli sperma, ex quo ipse extrahit quatuor elementa cum suo menstruo cælico circulato, mediantibus auxilijs digestionum & distillationum. Demum ipsa elementa fixat super terram suam, soluit & coagulat, sicque lapidem Philosophorum componit. Nos autem minus aurifamelici hac sola Raimundi Epistola contenti, magnum Elixir altioribus relinquimus ingenijs, nisi aliter Deus optimus maximus sua bonitate pietateque ordinauerit, cui

sit glo-

ſit gloria ſempiterna, Amen. Pro nunc autem ſic operare poteris. Facito aquam ex uitriolo ſiccato Salenitro, atq; Cinaprio ad medium illorum, qua facta, reitera libram unam huius aquæ, cum libra media Cinaprij, tribus uicibus, ſemper addendo, de nouo Cinaprio, tunc eam per ſe rectifica, ut bene ſit purificata. Demum recipe iſtam aquam claram, & cum ea miſce tantundem aquæ uegetabilis acutæ, cum terra ſua ſublimata uel fixa, non eſt curandum, modo per aëream diſtillationem cum ea ſit diſtillata, & caue in actu mixtionis, ut paulatim & caute miſceas, cum diligentia & ſic ſtent per diem naturalem, uaſe ſigillato, ut ſimul bene miſceantur, tunc diſtilla in balneo totam aquam, & iterum ſuperfunde, atq; iterum diſtilla, & opus hoc itera, quouſq; bene ſit unitus ſpiritus mineralis, cum ſpiritu uegetabili, & uideas eos unitos in fundo botiæ, in forma glaciei. Abijce aquam diſtillatam, quia amplius non utimur ea. Si uis hunc ſpiritum ſiue glaciem multiplicare, multiplica cum nouis aquis, ſemper tamen in balneo diſtillando, ut feciſti prima uice. Ponas tamen libram unam aquæ fortis ſuper untiam unam iſtius ſalis. Et hoc idem fac cum aqua uitæ ſumme rectificata. Et ſic poteris multiplicare hunc glaciem, ſiue ut rectius loquar, ignem, quantum libuerit.

Recipe ergo de iſto ſpiritu ſeu ſale, ſiue glacie, uel G uegetabili, quod idem eſt, libram unam & contere cum untia una ſolis uolatilis ſeu foliati uel ſoluti, & in naturam ſpiritus reducti, mediante ſua aqua menſtruali, ſuæ naturæ conformi, & noli eſſe fatuus. Nam aqua quæ lapidem facit uolatilem, non eſt aqua uitæ (ut iam dixi) Cum autem tu habebis Solem uel Lunam ſic foliatum, habebis illum diſpo

ſitum ad diſſoluendum & uniendum cum glacie ſupra notato, pro ut dictum eſt, tunc ambo in balneo per dies octo pone, & totum diſſoluetur in aquam coloris auri, fac in ſimul circulare in uaſe gemino, quod pellicanũ appellant, per dies uiginti uel circa, & congelabitur in lapidem coloris rubini, diſſolue in balneo, & congela in cineribus, & erit medicina cuius una pars cadit ſupra centũ Mercurij, uel Lunæ, & uertet in Solem, ſicut ab Raimundo iam narratum eſt. Tu uero non excuſeris per hæc quę tibi tradidimus, ut nihil huic operi addas de his, quæ Raimundus ipſe pleriſq; in locis docet, ſed ingenieris ut ad nobiliorem gradum medicinam hanc conducere ualeas.

IANI LACINII COLLECTANEORVM CHYMICORVM LIBER QVINTVS.

De Atramentis ex Rhaſi. Cap. I.



Tramentum multiplex eſt: quoddam nigrum, quoddam ſubrubeum, quoddam uiride & ſubuiride, & quoddam album. Et quodcunq; ſumatur, calidum & ſiccum eſt, & eſt ſibi occulta natura & mirabilis. Atramentum quidem uiride mixtũ cum Mercurio, facit ipſum coagulari, & facillime ſublimari. Vnde ſcire potes, quod cum nullo alio Mercurius ſublimari poteſt, ſicut cũ atramento. Ipſum enim atramentum facillime Mercurium mortificat, ut ſublimetur, & de facili ſoluatur, & redigatur in aquam currentem.

Aqua

Aqua atramenti sic fit.

Recipe de atramento uiridi ultra montano, quassa ipsum & pone in olla, & claude fortitur ollam cum Argilla, & pone inter carbones, & fac ignem lentum à principio per duas horas, postea fac ignem fortem sufflando fortiter cum follibus, per alias duas horas. Et postea dimitte suum ignem usque ad consumptionem sui spiritus, & refrigerata olla aperi eũ, & inuenies rubeum rubedine ualde intensa, accipe illud, pone in uase uitreo, & superfunde in triplo de urina puerorum clara & reseruata ad octo dies. Et si fuerit distillata melius ualebit, uel de aceto distillato, uel de aqua dulci & clara: cooperi ergo uas illud pro puluere, & reserua donec illa aqua indigeas.

De Aluminibus. CAP. II.

MVltiplex est alumen. Aliquod dicitur Iameni, & illud est plumosum, & est ualde candidum, & habile ad soluendum, est natura acidũ, unde sic cognoscitur ab alio, quia plumosum est candidum & acidum. Est autẽ aliud alumen uiride & in puluere, & quoddam est citrinum, quoddam sub albidum & hoc est ad modum calcis. Est & quoddam alumen in lapide ad modum salis gemmæ. Alumen tamen Iameni in arte Chymia melius est. Recipe ergo illud, tere in mortario æneo, & pone in olla ænea, & superfunde illi in sextuplo de urina puerorum reseruata & clara, & pone ad lentum ignem quousque medietas urinæ consumatur, uel duæ partes, & postea remoue ab igne, & cola per filtrum, colatum serua in uase uitreo.

Præparatio salis communis. CAP. III.

SOlue cum quintuplo aquæ dulcis claræ, distilla per filtrum, congela, & repete hoc, donec ad modum cristalli fiat.

De Salibus. CAP. IIII.

MVlta genera sunt salium. Quoddam sal ammoniacum, & in ipso sunt abscondita omnia secreta Philosophorum, & ipsum appellauerunt Aquilam. Est & sal gemmæ, quod est præciosius alijs, & est ualde candidum, ut cristallus. Est & salnitrum, & aliud est sal commune, & illud diuersificatur secundum diuersa loca, quia quoddã est amarum magis quâm aliud, quoddam magis album, & quod albius est, illud quoq; est magis solubile & efficatius. Est & quoddam sal quod absconderunt Philosophi, & istud est sal alkali, & si istud habere poteris, sufficiet tibi in arte. Insistamus ergo huic. Recipe de sale communi partem unam, tere, pone in ollam, cooperi, pone in furno figuli â sero usq; ad mane, tũc tere, & pone in uase uitreo, & superfunde de aqua atramenti superius reseruata & hoc ad rubeum, uel de aqua aluminis ad albũ in duplo uel triplo, & dimitte ad octo dies, constans est, quod aliquid indissolutum manet, & quod resolutum est tendit sursum, & supernatat quasi oleum, & est candidum. Et illud appellauerunt Philosophi oleum Philosophicum, uel aquã sapientię, & ibi inest uapor cristallinus, & cum coagulatur, dicitur sal alkali. Quod ergo melius pateat, sic facias. Recipe sal commune, sicut dictũ est, assa illud, & assatũ pone in uase uitri, & superfunde in triplo de aceto distillato, uel de aqua clara & pulcherrima, & iterum accipe de alumine Zuccarino mediũ quantũ fuerit sal, & tantundem calcis uiuæ, mixtis cũ alumine, tere, pone in uase uitreo,

& super-

& superfunde de aceto distillato, uel de aqua clara in triplo, & si uis pone untias duas ibi mellis despumati, & dimitte per tres dies. Tunc recipe illud quod solutum est, scilicet quod enatat super sal, clarum & limpidum omnino, sine fœce, & pone illud in parua ampulla habente strictum collum, similiter recipe illud dissolutum, quod supra calcem & alumen natat, & pone illud in eadem ampulla cum aqua salis. Illud autem caueas quod nullo modo fœces imponas, frustra enim teneres opus tuum. Cum autem habebis ampullam plenam istis duabus aquis, debes illam coagulare, qua coagulata, inuenies lapidem candidum ad modum cristalli. Illud autem quod diximus de solutione salis communis, intelligas quoque de salenitro & gemmæ. Et sicut à sale communi habet fieri sal alkali per solutionem, sic ex alijs tribus multo melius & efficatius. Et sic cum fuerit solutum & congelatum, tunc iterum soluas & coagula. Et si hoc tertio uel quarto feceris, quod de facili fieri potest, tunc scias quod currit sicut aqua, si commisceatur metallo, ita ut untia una super centum, ducẽtas & etiam trecentas untias cuiuscunq; metalli ponatur, &c.

De *Sale ammoniaco.* CAP. V.

RECipe illud, tere, pone in olla, cooperi ollam, pone in furno ad assandum, assatũ tere, poneq; in uase uitreo, & superfunde de aceto distillato, uel de aqua pura clara in duplo. Si posueris de aqua atramenti ad Solem, uel de aqua aluminis ad lunam, fiet laudabile opus, dimitte ergo ad octo dies, postea sequestra quod solutum est. Debes enim accipere solum purum quod supernatat, (non enim totum sal soluitur) solutum coagula in ampulla stricto collo, & serua

quia

quia candidum. Postea pone ad sublimandum, sed debes ei supponere in fundo de sale communi assato, Et fac ignem subtus à principio mane usque ad tertiam lentum, postea fortiorem aliquantulum, à tertia usque ad meridiem, tunc remoue ignem, & infrigidari permitte, postea excipe clarum & candidum.

De spiritibus, & primo de Arsenico. CAP. VI.

TRes sunt spiritus minerales, Mercurius, Sulphur & Arsenicū. ARSENICVM est calidum & siccum, maximæ uirtutis, & uilis pretij, & est combustiuum omnium aliorum corporum, de facili comburit æs, & alia. Est autem arsenicum duplex, quoddam pallidum, quoddam rubeum. Et quod rubeum est, multum ualet ad combustionem corporum. Quod pallidum est, ualet ad solutionē quorundam corporum, & etiam ad tincturam, & eius condimentum est cum Mercurio, ad hoc ut lunam faciat. Sciendum quod maximam affinitatem habet cum aceto, & cum ipso decoquitur admixto sale, & à spiritualitate sua redit in corporalitatem. Et arsenicum primo debet lauari, secundo sublimari, tertio exaltari, & cum exaltatum fuerit, faciet opus quod nemo credet, nisi expertus. Decoquitur ergo sic. Primo accipe de pallido foliato quantum uis, & non de rubeo, tere illud in mortario fortiter, postea in marmore, ita quod fiat puluis, pone in ollam uitreatam, & superfunde illi in quadruplo de aceto forti, & claro, in quo fuit solutum sal, per tres dies postea igne lento coagula, & laua in scutella aqua dulci clara donec salsedo recedat, tunc desicca ad solē. Et iterum pone in alia olla, & superfunde in quadruplo de aqua aluminis prius reseruata, & iterum coagula. Postea

pone

pone in alludel, & pone in duplo sui, de sale communi assato, & pone ad sublimandum à mane usque ad meridiem, postea remoue ignem, & excipe infrigidatum candidum. Accipe ergo illud, & pone in uase uitri, & superfunde illi de aqua aluminis, quantum est ipsum, & permitte ad octo dies. Postea accipe illud quod enatat, pone in ampulla parua stricto collo & coagula, & inuenies ipsum lapidem ad modum cristalli. Et si ipsum coniunxeris Lunæ, sicut postea dicetur, facit opus admirabile. Etsi fuerit coctum arsenicum cum oleo oliuarum, & postea cum aqua atramenti, reperitur ipsum in sublimatione clarum & ualde rubeum, & de facili soluitur, & si admixtum fuerit cum fermento, facit gaudere oculos Chymistæ. Etsi Arsenicum coctum fuerit cum lacte uel oleo amigdalarum amararum, & postea cum aqua aluminis, reperitur ualde clarum, & pulchrum in sublimatione. Hoc unum scito, quod si in sublimatione reperis illud clarum & candidum, de facili soluetur, & sine defectu operaberis cum eo. Arsenicum autem rubeum multum ualet ad combustionem corporum, non tamen ita facile sublimatur ut pallidum nec etiam de facili soluitur. Et propterea cum operare uolueris in Arsenico ad sublimationem & solutionem, circa pallidum & foliatum insistere debes. Et si uolueris ipsum sublimare cum Mercurio bene poteris facere, debes enim decoquere, ut dictum est. Et in libra una Arsenici pone untiam unam Mercurij, & sic sublimabitur cum ipso, ad modum perlarum.

De Sulphure. *Cap.* VII.

DIcimus quod decoquitur sicut Arsenicum, sed quia sulphur in caliditate & siccitate habet admixtam uentositatem, propterea non de facili sublimatur. Veruntamen cu-

randum non est, si sublimari non posſit. Insistas ergo ut bene decoquas, & decoctum soluas, & cadet in terminis opus tuum super omnia opera. Quidam dixerunt, quod si immisceatur calci uiuæ, poterit cum ipsa de facili sublimari. Nolo tamen ut frustra labores. Si enim feceris hæc, quæ præcepi tibi, sufficient. Hoc unum scito, quod Arsenicum maxime ualet ad Lunam, Sulphur uero ad Solem. Est enim sulphur album à parte extra, & rubeum à parte intra. Arsenicum uero è contrario, ut patet in effectu. Sulphur album si uis habere rubeum, dissolue in aqua rubea per contritionem, & imbibitionem, & bonam decoctionem, dissolutum congela in lapidem, & congelatum dissolue iterum cum aqua rubea, & iterum coagula, tunc uero cum eadem aqua rubea solue, & sublima totum per ignem fortisſimum. Et quod in similitudine pulueris ascenderit sursum, est sulphur albisſimum, quod uero remanet in fundo deorsum, est sulphur rubeum, tinctum uti scharlatum. Et istud est sulphur optimum secundum Aristotelem, quod conuertet Mercurium in uerisſimum Solem. Multum enim transmutatur sulphur per decoctionem aceti & salis, etiam si decoquatur in oleis, multum ualet. Philosophi dixerunt, quod ipsum faciat aurum cum argento uiuo, & si dicta recte intellexeris, cum sic ad perfectionem, id est, solutionem & decoctionem ueram perductum est, perficies opus tuum, & sola hæc tria sufficient tibi, & consulo, ut abscondas. Argentum & aurum sine ipsis fieri non potest.

De Mercurio. Cap. VIII.

DE ipso dixerunt Philosophi, quod argentum uiuum est nubes nubium, & pater ditans filium, & oculus sapientiæ, est fœmina impraegnans seipsam & in eadē die concipiens & pariens, & ditans pauperē, Et dicens auro; Ego genui

te cum

te cum sulphure, dicit etiam, argentum cũ arsenico generaui. Ego sum qui ab igne fugio, & omnia quæ ex me sunt, in fœcibus relinquo. Ego sum qui sisto in igne, et omnia quæ ex me sunt candida et purissima reddo. Ego sum qui coagulatus coagulo, et qui solutus soluo, et qui me habuerit, non frustra tenebit. Quod autem de ipso dicit, quod sistat in igne, et pro maiori parte habeo testes, quod ab igne auffugit: Aperi cor tuum, et occulta ipsius reserabo tibi, et dicam eius coagulationem ad rubeum, et eius coagulationem in album dicere non dimittam eius solutionem, et sic si feceris, uidebis constantiam eius et in igne ipsum solui, sicut sistit metallum. Lauetur ergo primo cum aceto et sale, secundo sublimetur uel coaguletur, tertio ad solutionem ducatur. Et si solueris illud ab A usq; ad G, scies me inter Philosophos nominari, et semper huic arti credens, et nec unquã separaberis à credendo. Recipe de illo ergo quantum uis, et tantum salis communis, tere simul in mortario æneo, et pone totum in olla uitreata, superfunde de aceto in quadruplo, et desicca ad lentũ ignem, tũc laua illud in scutella cum aqua clara et dulci, ac separa sal, postea accipe tantundem atramenti uel uitrioli, tere et impasta, cum aqua clara agrestæ, uel aceto distillato, desicca lento igne, & pone ad ignem lentum, à mane usq; ad tertiã, postea fortiorem à tertia usq; ad meridiẽ sublimando. Tũc accipe albũ sicut niuem ad modum camphoræ, tere, pone in uitro, & superfunde de aqua atramenti in duplo, et dimitte ad octo dies. Posteaquam solutum est, coagula in ampulla stricto collo, et erit clarũ et rubeum ad modũ granati. Item accipe untias tres olei communis, id est, oliuarum, et pone in olla uitreata ad ignem lentum, donec buliat, et cũ bulire incæperit, pone ibi untiam mediã sulphuris crocei et clari

& moue ut liquefcat fulphur, tunc remoue ab igne ftatim, & dimitte infrigidare, poftea appone untiam unam Mercurij, & iterum pone ad ignem, & dimitte ut deficcetur, poftea extrahe de olla, & pone in alludel fuper ignem, à mane ufq; ad nonam, & fublimabitur ualde bene, & inuenies illud in coopertorio ualde rubeum, tunc tere illud, & pone in uafe uitreo, & fuperfunde de aqua atramenti in duplo, & dim tte ad octo dies, poftea accipe quod enatat, & coagula in ampulla, & inuenies coagulatum rubeum, ad modum granati. Hoc ergo modo coagulatur Mercurius in rubeum. Si uero uis ad album, recipe de Mercurio quantum uis, & tantundem ceruffæ, tere fimul in mortario, & pone in olla uitreata, fuperfunde aquã aluminis, uel aquam calcis uiuę in quadruplo pone ad lentũ ignem, & dimitte à mane ufq; ad tertiam, poftea extrahe illud de olla, & tere, & pone in alludel, & claude, & pone in furno uitri uel panis, aut melius pone fuper ignem, & dimitte à mane ufq; ad ferum, refrigerata olla uel al ludele, aperi, & inuenies illud nõ in coopertorio, fed inferius, ad modũ cineris. Accipe illud & tere, & pone in uafe uitri, & fuperfunde de aqua aluminis fupradicta in duplo, dimitte per octo dies, poftea accipe oleum Philofophicum, quod fupernatat, & coagula in parua ampulla, & inuenies illud albũ tanq; glaciem, coagulatũ in modũ criftalli. Itẽ alio modo fic coagulatur in albũ. Accipe unã cannam groffam & fortem, quæ habeat nodos proprinquos, & facias ibi foramen paruũ poftea impleas illam argento uiuo prius loto, ficut prius dictũ eft, cum fale & aceto fcilicet, & claude foramẽ cannæ cũ cera, per totũ, poftea fuper ceram luta totã cannã luto fapiẽtiæ fortiter, & bene undiq; ficcetur, poftea fac foueã in terra, et in fundo fouëę ponas laminas plũbeas fufas feu liquefactas

& ibi

& ibi submerge cannã, & habeas clauũ unũ, & fige in terrã fortiter, ut teneat cannam, ita ut sic canna posſit circumuolui & moueri huc & illuc, nec exire extra. Considera ergo quod bene firmes, & quod optime canna sit perlutata, quia si non, frustra facies. Et si sapienter feceris, istud sufficiet tibi ad argentum faciendum. Pone adhuc plumbum super cannam, & imple foueam plumbo, ita quod canna tota sit sub plumbo, pone postea ignem carbonum desuper, & suffla fortiter cum follibus, à mane usq; ad tertiam. Postea remoue ignem & aperi cannam, & inuenies argentum uiuum coagulatum durum, & forte album, sicut aliud argentum, tere illud, & pone in uase uitri, & superfunde de aqua aluminis in duplo, & permitte ad octo dies, postea accipe illud quod enatat, & pone in ampulla per se, & coagula, & inuenies illud pulchrum & candidum, & reserua illud quousq; opus fuerit. NOTA. In documento dicitur quod Venus habet magnam malitiam quæ calcinando & lauando tollitur. Et subdit ipse Rhasis: Quod ex Venere non fit Sol, sicut nec ex plumbo argentum, melius tamen fit ex Cupro argentum quàm ex plumbo aurum. Si ergo Venus calcinetur, lauetur, soluetur, sicut prius dictum est, dabit colorem similem auro, non tamen faciet Solem.

De Auro. CAP. IX.

VNum tibi dico, quod necessarium est. Si aurum componere uis, ut illud fermentes. Et nisi fermentaueris, frustra tenebis omne opus suum. Et ad hoc quod sit fermentum, & quod aliqua eius operatio ualeat, oportet quod sit purum. Et quia est purisſimũ, in sua propria natura, parum sufficit ei, ut amplius depuretur. Non enim oportet ipsum

multum lauare. Quia satis est pulchra materia & pura. Sed oportet illud præparare ut solummodo posiit incorporari & fermentari. Oportet autem illud calcinare prius sicut infra patebit. Accipe ergo Solem purum & lamina tenuissime, postea accipe arsenicum rubeum, fac puluerem, & pone ibi tertiam partem salis communis, quantum arsenici est, & habeas ibi untias septem chalibis, tere ista tria simul, & accipe ollam nouam uitreatam, & pone de isto puluere in fundo parum ollę dictæ, & superpone ibi laminam auri, postea cooperi laminam puluere, & iterum aliam laminam, &c. Postea habeas aliam ollam, pone ibi libram unam olei oliuarum, & pone ad ignem lentum ut buliat. Et pone ibi postea untias quatuor sulphuris clari, boni, & crocei, & remoue ab igne statim, & moue cum spatula ut liquescat sulphur cum oleo, & fac infrigidare, postea pone parum de illo oleo in olla ubi sunt laminæ cum puluere, & pone ollam cum laminibus ad lentum ignem donec illud bibat, postea iterum pone de oleo, & da illi ad bibendum, & dimitte ad ignem, donec totum oleum bibat, parū & parū, postea dimitte fortiter desiccare, ut omnis humiditas recedat. Postea cooperi ollā cum luto sapientiæ, & totū illud potest fieri in una die. Sequenti mane pone ollam inter carbones, & sepeli ibi totam, postea fac lentū ignē à mane usq; ad tertiam, à tertia usq; sero, sufflando fortiter cū follibus. Vel si nō uis ferre laborem, pone in furnum figuli, uel panis, à mane usq; sero, uel à sero usque mane. Postea recipe ollā & infrigidata olla aperi, frange ollam, & tere illud quod intus est in mortario, tūc Sol teritur. Tunc pone totū puluerē in scutella, et pone ibi de aqua dulci clara, frica fortiter cū digitis. Et cū puluis fecit residētiam in fundo remoue aquam, quia salsa est, iterum pone aquam,

& iterum

& iterum laua, quousq; omnis salsedo recedat, postea desicca ad Solem uel ignem. Et tunc pone illum totũ puluerem iterum in olla parua, & claude luto sapientiæ, et pone in furno dum ibi est panis & non plus. Cum ergo aurum ita fuerit calcinatum, & fermentatum gaude. Accipe ergo puluerem illum & puluerisa multum bene, & pone illum totũ puluerem in uase uitri, uel in Ciatho claro & mundo, & superpone de aqua atramenti tantundem, quantum ipsum est ad pondus, et caue ne plus ponas, uel etiam minus. Et dimitte per octo dies, et moue quottidie bis uel ter, postea accipe illud clarum quod enatat solum, & pone in ampulla paruula per se, & illud debet esse limpidum et clarissimum. Et si ita fuerit, uere beatus eris in ista arte tua. Et si habueris Mercurium solutum sicut te docui in capitulo ipsius Mercurij. Et si habueris sal ammoniacum solutum, sicut te docui ibidem. Tunc accipe tantundem de aqua Mercurij, & tantundem de aqua salis ammoniaci, quantum est aqua solis, et coniunge aquas in ampulla, et accipe ollam plenam cinere cribrato, et sepeli ibi ampullã illam usq; ad collum illius, et pone ollam super tripodem, et fac ignem subtus de mane usq; ad serum, & ita coagulabitur illud, quod est in ampulla. Tunc accipe ollam, postquam infrigidata fuerit, et frange. Accipe lapidem qui intus est, et pone untiam mediam illius lapidis super octuaginta Lunæ, et conuertet ipsum in solem optimum irreprobabilem.

De Argento. CAP. X.

DE Luna hoc notandum, quod Luna eodẽ modo componitur quo et Sol, quamuis non æque, sed minus depurata & minus digesta, et post Solẽ est melius et perfectius

cæteris

cæteris metallis. Habet tamen infirmitates aliquas. Quia non omnino depurata est ab humiditate prima Sulphurea, neq; à secunda, quæ est flegmatica & euaporans. Vnde ex prima nigrescit, si cum adurentibus scilicet sale communi, auripigmento & latere sit contrita. Quod autem argentum purum ab igne album egrediatur, per multas fit fusiones & post cineritium. Et signum est quod habet parum sulphureæ humiditatis. Sed quando coquitur cũ sale & latere, nigrescit cum tamẽ nigredo nõ sit in latere & sale, cõstat ipsum habere aliquid de humiditate prima unctuosa, licet parum. Vnde quia pauca est, nõ egreditur, nec apparet exterius per calorem ignis, &c. Hæc est ergo infirmitas ipsius. Prima quæ est ex defectu depurationis humiditatis primæ. Secunda est quod in igne euaporat, atq; minuitur, quod est ex defectu depurationis secundæ humiditatis, quæ est flegmatica atq; euaporans, & sibi non naturaliter adhærens. Quoniam non est de ipsius substantia, post egressum illius remanet argentum purũ & perfectũ. Non est aũt in eo alia infirmitas nec sanũ nec ægrũ, sed quasi neutrũ. Potest etiã sanari & in melius conuerti, scilicet in Solẽ per maiorẽ depurationẽ & digestionẽ, ut depuratũ perfecte nõ nigrescat ex humiditate prima, nec minuatur ex secunda, nec ex defectu digestionis frigidũ dicatur, sed temperatũ, nec albũ dicatur, sed citrinũ. Quomodo aũt istud fieri debeat, uel possit immediate dicetur. Præparatio igitur argenti est cõuersio illius in Solem per quã depuratur à primis duabus humiditatibus, & melius digeritur. Prima enim ablata, nõ nigrescit amplius. Secunda uero amota, nõ minuitur in igne. Ista pręparatio talis est. Recipe salis cõmunis cũ sua humiditate, tere optime, & stratifica cum luna subtiliter laminata, & sit in uase forti terreo, ipsum

ipsum superius claude, sed modicum foramen in medio dimitte, & sic cubet in medio ignis mediocris, per duodecim horas, post extrahe, & inuenies laminas tuas corrosas, & diminutas quantitate & pondere. Ideo si eas bene albas uideris, scias primam humiditatem esse cõsumptam, propter quã nigrescit, Lunamq; tuam bene calcinatam & frangibilem esse. Si uero nigra fuerit in superficie, adhuc habet de prima humiditate. Si uero non, faciliter frangitur, adhuc habet de secunda humiditate. Signum uero depurationis primę humiditatis est, si cum Saturno non nigrescit. Signum uero secundæ humiditatis depurationis est, quando non plus minuitur in igne. Vtrumq; tamen fit cum dicto puluere & igne. Quoniam dictus puluis ignitus, utramq; consumet atq; ebibet humiditatẽ. Et tunc erit præparatũ & aptum sed tamen adhuc frangibile. Tunc reducas illud ad malleum, & erit dulcissimum, & molle ut Sol, atq; flexibile, & non mutabit colorem plus, neq; pondus, & erit compactum magis, atq; ponderosum. Hæc autem cõplebit puluis iste dans malleum, & dulcedinem Soli & Lunæ, si est combustum & calcinatum. Recipe salis ammoniaci, salis petræ, & boracis ana, de singulis, tere & commisce, & solue in modico uini, & desicca, & de puluere quartum pondus, pone cum tribus cuiuscunq; calcis uolueris, & reuertetur ad malleum multum bene.

Sequitur opus de argento secundum Rhasim.

Recipe laminas Lunæ, de quibus nos dicimus, subtiles et libras quinq; Arsenici, & untias tres, cum untia una limaturæ chalibis, tere simul fortiter, postea stratifica laminas cum puluere, & pone ad lentum ignem super carbones, & appone de aceto fortissimo, & dimitte ad ignem de mane usq; ad

tertiam, postea dimitte exsiccare fortiter, & cooperi ollam cum luto sapientiæ, post sepelias inter carbones, & accende carbones, & fac ignem fortem per duodecim horas, post remoue ab igne, & refrigerata olla, aperi & inuenies laminas cum puluere mixtas, sapienter separa laminas à puluere, pone in mortario, & tere, quibus tritis laua cum aqua dulci calida, fortiter in patella, & desicca ad Solem uel in furno. Postea recipe tantundem salis ammoniaci sublimati, quantum est puluis argenti, & tantundem Mercurij sublimati coagulati, sicut superius dictum est, & tantum Arsenici sublimati in album. Hoc unum tibi dico, quod si ista quatuor sic acceperis, mirabilia opera facies. Recipe ergo illa quatuor, simul tere, pone in ampulla, & superfunde de aqua aluminis in quadruplo, quantũ ille puluis est totus, dimitte ad duos dies, postea pone ampullã in olla cineris, & sepeli ibi usq; ad collum, & sit eius collum strictũ, & coaguletur illud totũ, quod est in ampulla, & ampulla debet stare discooperta. Postea cooperi ampullam luto sapientię & dimitte super ignem per diem & noctem, postea infrigida ampullam, frange eam, & accipe quod intus est, & si quid sublimatũ est, ad collum iunge simul, tere illud, pone in uase uitri, et superfunde de aqua aluminis in duplo & non plus, & dimitte ad dies octo mouendo quotidie bis uel ter. Postea accipe aquam quæ supernatat, & pone in ampulla paruula habente strictum collum, desicca fœces quæ remanent, & pone untiam unam illius super quadraginta æris, & erit argentum omnibus irreprobabile. Aperi ergo cor tuum, quia quod dixi tibi, expertus sum de fœcibus. Et si fœces hoc faciunt, quid ergo faciet illud purum quod separasti, positum in ampulla. Coagula ergo illud sicut scis in olla posita in cineribus, & postea pone untiã

mediam

mediam super ducentas & quinquaginta æris, super stan-
nũ, centũ & quinquaginta, super plumbi quinquaginta un-
tias, & uidebis admirabile Philosophicum, & nullo modo ui
debitur irreprobabile omnibus. Alio modo sic facias. Recipe
Lunã limatam purã & bonam, quantũ uis, & tantundẽ cri-
stalli, tantundem auri cadmiæ seu litargirij argentei, & tan-
tundem arsenici sublimati, & totidem salis gemmæ, tere si-
mul, pone totũ in ampulla, superfunde de aqua aluminis, in
duplo, dimitte ad octo dies, postea pone in uase cineris, & ol
lam pone super ignẽ, dimitte usq; ad aliud mane, tunc dimit
te ampullam apertã, donec tunc desiccatũ fuerit, illud quod
est intus, id est, à mane usq; ad meridiẽ. Quando aũt desicca-
tũ fuerit, tunc cooperi fortiter ampullã, & dimitte super ignẽ
per residuũ illius diei, & per totam noctem, sicut prædictum
est, postea frange ollam, tere, pone in ampulla, appone de a-
qua aluminis in duplo, & fac omnino sicut prius, nullo muta-
to penitus, & ita debet fieri quinquies, uel ad minus quater,
postea tere diligenter, & pone ibi tantundem salis ammonia-
ci sublimati quantũ fuerit Lunæ, & tantundem Mercurij cal
cinati cum plumbo, tunc totũ pone in ampulla uitrea, quæ
habet longum collũ, & suppone illi de aqua aluminis, quan-
tum est de ipso, & dimitte per octo dies uel quindecim, mouẽ
do quotidie bis uel ter, postea accipe illud quod enatat, & co-
agula in ampulla per se, sicut scis. Et pone untiam mediam
super uiginti eris, & fiet Luna irreprobabilis. Coagula au-
tem quod est in ampulla per se olla posita in cineribus, & po
ne untiam unam super centum æris, & fiet Luna bona.

De Venere. Cap. XI.

VEnus purgatur ut Luna, & cum eodem puluere re-
ducitur ad malleum quo & Luna. Postea uero

extinguitur ignitum uigesies in aceto,& deinde decies in sa- guine porcino recenti,& erit bene præparatum, Oportet autem illud diutius morari in sua calcinatione quâm Lunam, & fortiorem ignem requirit. Stet ergo in igne per tres dies, et postea reducatur ad malleum, ut dictum est. Si autem post calcinationem uis extrahere salia, habeas lixiuium calidum, & pone intus, & resoluetur, quod separabis deguttando lixiuium.

De Saturno. Cap. XII.

FVnde Saturnum, & proijce intus quartam partem Mercurij, postea puluerisa, & tere in mortario uel marmore cum æquali pondere salis combusti communis, donec sal nigrescat, tunc eijce sal cum aqua, tere iterum sale nouo, & eijce sal cum aqua, & hoc fac tertio, & tunc totum cum ipso sale ad buliendum pone in aceto fortissimo, & buliat per diem unum, & egredietur nigredo eius, & depurabitur magis â sulphure & nigredine, & tunc eijce salem, cum aqua, & habebis puluerem Saturni et Mercurij, mediocriter purgatum. Reitera ergo contritiones et bulitiones ipsius, ut prius dictum est, donec inuenias Saturnum album & mundum, quod quanto pluries feceris, tanto melius erit, et deficit ei nunc sola digestio.

De Stanno. Cap. XIII.

IPsum purgare poteris eodem modo, quo et Saturnum, quarta pars Mercurij stridorem ei auffert, et Saturno tertia, ipsum autem oportet imbibere cum oleo aliquo rectificato, uel cum saguine porcino distillato, donec resumpta humiditate stridorem ei aufferat.

De Ferro. Cap. XIIII.

Illius

ILlius utilitas maior est in croco illius extracto ab eo, qui colorem habet fixum in opere Solis. Quomodo autē extrahatur fere mille sunt uiæ, potest quoq; fundi cum cerussa, sed tamen post fusionem non est malleabile, funditur etiam cum puluere, cum quo Luna ad malleum reducitur.

Sequuntur collectanea ex Alberto Magno, Diuo Thoma, alijsq; authoribus non uulgaribus. CAP. XV.

HErmes dicit, quod corpus solutum est, aqua perennis, & congelat Mercurium congelatione perpetua. Item alius, Præparate corpora & soluite ea, & ex illa aqua imbibite spiritus ablutos, tunc ipsi spiritus in ipsa corpora submerguntur, & corpora in spiritus, sicq; figuntur spiritus cum corporibus, fixione firma. Item Rhasis dicit: Conuerte corpora in aquam, & illam aquam coniunge Mercurio, & ex illis duobus fac iterum unam aquam. Item nisi corpora soluas, in uanum laboras. Vnde uersus:

Si fixum soluas, faciasq; uolare solutum,
Et uolucrem inuoluas,
Hæc tria si iungas, facient te uincere tutum.

Item Tecenensis: Tu qui gliscis domum Dei contemplare, huius rei fontem amabilem, Lunam, Solem transmutare tibi mando, uoce clara, Limpham instillabilem, hæc est prima radix rara, nobis data multum chara, Hermetis comprobamine. Ideo Albertus ait: Collige diuersos flores, plenos odoratu omnium bonorū, in quibus redolet suauitas, & relucet pulchritudo huius mundi, decus & gloria. Hic est flos florū, & rosa rosarū, & Lilium conuallium. Lætare ergo iuuenis in adolescentia tua, & disce colligere flores, quia introduxi te in hortum paradisi, facias ergo ex ipsis coronā capiti tuo, &c. Necesse est ergo iuxta doctrinā Alberti, nos primo

colligere flores, id est, purgare spiritus, secundo illos figere per sublimationis reiteratione in uase clauso, demũ soluere, ultimo illa coagulare. Primo ergo de præparatione spirituũ agendum.

De Spiritibus. CAP. XVI.

PVra metallorum corpora post pręparationem illorum, per spiritus minerales perfitiuntur, quorum puritas & digestio, in ultimis perfectionis gradibus esse debet, ut in eis sit uis depurandi & digerendi. Isti autem sunt spiritus, qui uirtutem naturalẽ habent uiuificandi & immutandi, & sunt elementa ductibilium, id est materia metallorum, substantia eorum, sicut essentia elementati. Nunquam mirari debes intelligens, si spiritus summe depuratus atq; digestus, metalli corpus, magnũ pondus mutet. Licet spiritus, quo ad metalli quantitatem, est minor, maior tamen est molis magnitudine uirtutis actualis, cuius est agere metalli uero pati. Agit enim spiritus ex natura propria, et ex qualitatibus suis. Ex natura quidem propria in corpus metalli agit, quando coniungitur sibi, tanquam magis depuratum atq; magis digestum, magisq; igneum, & subtile, & minus habens de materia, plus uero de forma. Et propter huiusmodi diuersitatẽ, depurationis & digestionis, sequitur diuersitas specierum. Agit & ex qualitatibus, sicut dicitur quarto Metheororum: Apparent in uniuersis caliditas & frigiditas, terminantes, & permutantes homogenea et nõ homogenea ut magis actiue, &c. De quo ibidẽ: Cum aũt dignius opus harũ uirtutũ in naturali generatiõe et permutatiõe rerũ pertineat digestioni, ut tamẽ spiritus ad hãc uirtutem deueniat, oportet ipsum summe purgare atq; digerere, in metalli corpus introducere, & introductũ fixum esse, & nõ recedere, quodsi in uno horum

rum trium necessariorũ aliquid obmiseris, proposito frustratus eris, & tuã ignorantiã aut negligentiã lachrimabiliter cõdemnabis. Primo ergo debet agi, de spirituũ præparationibus, quæ in arte necessaria existit. Hæc aũt præparatio spirituũ, satis nobis exemplificata est, in operatione naturæ & metallorũ procreatione. In naturali omni procreatiõe auri, natura spirituũ per calorẽ mineræ terræ sublimatur, ubi inuentũ, quod calor uasis naturalis siue mineralis, in talibus mineris metallorũ, sulphureitatẽ spirituũ longe eleuauit altius, à minerali uase, & ipsos superius inuentos, mũdos & puros, per transitũ terræ calefactos, & dipuratos. Nam terra sicca calefacta, calefacit immũdities & superfluitates bibit, & cõsumit de prędictis, et partes grossiores retinet atq; acceptat. Aqueæ uero, aẽreæ, atq; igneæ subtiles, & puriores ex uasis calore uaporãtes, sursum ascendũt. Ars igitur imitatur naturam. Et ex hoc est inuenta artifitialis sublimatio, per quam spiritus depuramus, cũ rebus siccis atq; consumentibus superfluitates, ut nobis remaneãt purissimi, lucidissimi, supra omnẽ naturæ operationẽ. Et hoc ideo, quia ibi solus cursus naturæ operatur. Nobiscum autẽ & communis, & proprius naturæ cursus operatur, quia operamur ex ijs, ex quibus natura operatur, et ex quibus iam uirtus hęc agendi largita est. Et ex ijs, quæ addimus ex ingenio in rebus naturaliter operãtibus, quæ ad agendũ hoc, uelotius & melius requiruntur. Verbi gratia: Cõtingit ferrũ procreari in minera sua, cõtingitq; ei ex cõmuni cursu naturæ, suũ sulphur, suũq; argentũ uiuũ, prius esse cõgelatũ, quã purgatũ. Natura autẽ quæ sibi non contradicit, nõ prohibuit frigiditatem aduenientem circa materiam, nondũ adhuc depuratam, quin ipsam congelauit, Estq; ferrum cõgelatum impurum, & immundum.

Ego

Ego autem qui argentum uiuum, sulphur, uel arsenicum depurare uolo, possum congelationem omittere, quando uolo, & sublimatiões iterare, quantum oportebit, quousq; huiusmodi spiritus purissimi & lucidissimi, absq; omni humiditate superflua, efficiantur, tunc quoq; ipsos congelare possum, quando mihi placuerit. Ideoq; potentiorem natura, cum humano ingenio, & congrua potest addere, & necessaria uel utilia, nociua uero subtrahere.

De purgationibus spirituum. CAP. XVII.

PRimo igitur dicendũ est, de præparatione spirituũ, quæ semper fieri debent, usq; ad consumptionẽ superfluorũ, absq; corruptione necessariorũ. In alijs aũt triplex spiritus inuenitur, scilicet mineralis, uegetabilis, & animalis, & propterea de omnibus est dicendum, & primo de Mineralibus, quoniam ex ipsis natura cõmunis operatur. Spiritus autem minerales proprijssime sunt tres, Sulphur, Mercurius, & Arsenicũ, quæ in metallis naturaliter operantur, & ijs metalla per naturale artifitiũ præparata, naturaliter coniunguntur. Inter istos aũt spiritus, sulphur est principaliter agens, Mercurius principaliter patiens, Arsenicũ uero argenti uiui secundarias tenet actiones, & uterq; istorũ trium, pręparatus, conuenit ad cõpositionem elixiris ac uirtutẽ actionis retinent super quodlibet corpus metalli pacientis. Sulphur autem inter hæc actionis & immutationis primũ obtinet principatum. Quare de illo primo & principaliter agendum.

De Sulphure. CAP. XVIII.

SVlphur est corpus oleagineum, compositum ex terra subtili, & aqua imbutum fortiter, humiditate aërea pingui, & unctuosa, fusibile à calido, coagulabile à frigido, omnium

nium metallorum pars in actione, & ipsum est agens, & coagulās, sicut dictum est, in capitulo de materia lapidis. Tres uero habet humiditates, quarum duæ sunt superfluæ, tertia aūt necessaria. Necesse est igitur illud purgare, à superfluis humiditatibus, tertia remanente, quę est substantia illius pura, fortiter coniuncta, & à substantia terræ & aquæ depurata & completa. Huiusmodi aūt purgationis à natura capimus exemplum, quoniam ars imitatur naturam, ut patet intelligentibus, qui artem & spiritus suos cognouerunt. Sumatur ergo in nomine Domini, sulphur mundum & bene lucidum, & teratur minutissime, & tritum incorporetur optime cum æquali pondere salis communis, & sic ponatur super ignem mediocrem, & coquatur atq; assetur ibi, cum ipso Sale, ad duas horas, & moueatur optime ne ad patellam adhæreat, et ne comburatur, sed incorporetur optime cū suo sale, donec bene commixta in massam conuertantur nigram, tūc dimittatur infrigidari, & habeatur lixiuium optimum & fortissimum, factum ex aqua simplici, & calce uiua, atq; cineribus uitis, uel alia aqua acuta, sicut est urina, uel acetum, & sulphur cum isto sale bene puluerisatum permittatur ut buliat, super ignem fortem, donec totum sal extrahatur cum sua unctuositate, & moueatur sæpe aqua, donec nihil remaneat salsedinis in aqua. Deinde siccetur sulphur, iteretur iterum cum æquali pondere salis communis, & assetur sicut prius, ut remoueatur salsedo, & infrigidatum puluerisetur, & buliat ut prius, in aqua acuta, sæpius renouata, donec sal extrahatur. Et sic fiat ter, & tunc aptum erit ad sublimandū. Tunc sublima illud tali modo, Accipe alumen quoduis, & pone in olla terrea, in ignem fortem per mediam horam, & erit calcinatum. Hoc alumen cum æquali pondere scoriæ

 ferri,

ferri, uel limaturæ cupri, pone, & rora cum aceto, & bene cõmisce, & cum duplo harum fœcum tere sulphuris pondus unum, & incorpora hæc tria cum aceto, postea desicca in Sole, uel igne lento, & pone in sublimatorio sic: Fac primo stratum de prædictis fœcibus, inferius & in circuitu, ad spissitudinem unius digiti, ne sulphur tangat sublimatorium, & tũc pone sulphur tuum in medio. Et ipso posito super asperge lectum de dictis fœcibus, & sic undiq; includatur, inter fœces suas, & tunc ponatur ad lentum ignem, per tres horas, & cũ humiditas egressa fuerit, luta iũcturas optime uasis, & fortificetur ignis, paulatim, usq; ad uigesimam quartam horam, & tunc infrigidari permitte, & collige quod sublimatum est. Multum necessarium est quod fiat ignis lentus in principio, & postea fortis, & quod alludel sublimatorij multum eleuetur ab igne, ne comburatur quod sublimatũ adhæret ei. Per hunc modum sublimetur septies cum talibus fœcibus, donec fiat omnino album & mundum, clarum & siccum, absq; omni humiditate corruptibili, cuius perfectionis signum est, splendor & cristallina serenitas. Igitur cum tale fuerit gaude, quia preciosus Thesaurus est. Illud ergo repone, quia uirtutem habet tingendi, ingrediendi, & in melius conuertendi. Tunc ad eius fixionem & completionem hoc modo deuenies. Recipe acetum fortissimũ ter distillatum, et distempera cum eo sulphur prædictum, adiungens illi quintam partem sui ponderis, salis ammoniaci ter sublimati, & incera omnia simul, cum dicto aceto in porphirio lapide, & repone in phiala uitrea cum longo collo, in modum longi brachij, & clausa phiala, in fimo equino repone, quousq; totum soluatur. Quo soluto congela in cineribus orifitio phialæ aperto, & continua ignem lentum, quousq; totum sit congela-

tum.

tum. Tunc inuenies sulphur tingens, ingrediens, & fixum in igne. Quod si in aliquo defecerit, complebitur per iterationem solutionis & congelationis, ut supra. Cum ergo deuenies ad hoc, poteris operare ad album, super Mercurium, Iouem & Venerem, & ad omnem utilitatem, ut immediate postea in fine ostendetur.

De argento uiuo. Cap. XIX.

EXsequuta breui narratione de sulphure & eius præparatione, sequitur tractatus de Mercurio, tanquam de principaliori & post ipsum digniori. Est autem Mercurius corpus minerale, compositum ex terra subtili sulphurea, & aqua fortiter commixta, quod est in parte elementum, & pro altera parte naturæ metallorũ. Substantia aũt terrea purgãda est à grossa terrestreitate sulphurea. Aquæ uero substãtia, ab humiditate duplici superflua. Et sic cũ sulphure præparato, cõuenit in præparatiõe sulphuris uel Elixiris nobilissimi, & etiam in metalli, auri uel argenti, cõpletam perfectionem tanquã saguis mulieris, qui uirtute seminis uirilis coagulatur & corpus fit humanum, & tunc consequuntur digestiones cõpletæ, sicut in operatiõe naturæ, sic in operatione artis. Quoniam ut dicitur 4. Metheororũ: Nihil differt siue in organis naturalibus siue artificialibus hæc operatio. Oportet igitur, quemadmodũ dictum est de sulphure, sublimare illud in uase artificiali, quemadmodum sublimat ipsum natura, in uase naturali, quod est uas continens uerum minerale, ut purgetur ab humiditate & terrestreitate superflua.

De præparatione eius.

IN nomine Dei accipiatur Mercurius & proijciatur in medio patris sui, & coaguletur aliquantulum, & sic optime

teratur, & incorporetur cū duplo suarū fœcum, intra se contentarū. Et sic imponatur incorporatū in sublimatorio inter duos lectos earum, & cessante uapore humido, lutetur uas, & detur primo ignis mediocris, postea fortis. Fœces aūt istæ sunt. Salis cōmunis pars una, atramenti uiridis pars altera, siue uitrioli uiridis (nā sunt eiusdem naturæ) cuperosæ partem unam. Cum ijs fœcibus sublimetur septies uel plures, donec omnem humiditatem superfluam terrestreitatis amiserit & albissimum sit atq; lucidum, conteratur primo cum fœcibus suis, quousq; moriatur. Roretur cū aceto uel urina, seu agresta uuarum, ignemq; facias mediocrem, quia cito cōburitur, & priusquā aperias sublimatoriū, permitte ipsum infrigidare, quia fumus ualde nociuus est, Et quamuis Mercurius bene purgetur per sublimationē, tamen ita faciliter non ingreditur corpus metalli, uel ipsum remanet, quemadmodū sulphur & arsenicū, quoniam corpus est ualde siccū, & uix funditur. Et quod omnia metalla fundantur, re uera magis est ex sulphure, quàm ex Mercurio. Sulphur aūt arte præparatum. & cū metallis coniunctum, ipsa quidem remolliuntur, & faciliorem faciunt fusionem. Ideo oportet illud cerare uel laxare, ut iterū metalla ingrediatur, & neq; in ipso remanet ceratio, id est, partiū remollitio, quæ fit per aliqua salia, Boratia & olea. Inter salia, sal ammoniacum cerationis et remollitionis tenet principatum, post ipsum sal petræ. Itē Boratia cum quibus consolidant aurifabri. Inter olea, oleum capillorum, post ipsum oleum ouorum. Ad hanc uero cerationem, ualde necessaria est contritio. Quia per contritionem multum subtiliātur partes, & inuicem ingrediuntur. Accipe igitur Mercurium purissimum, cum septimo pondere salis ammoniaci, ter sublimati, cū æquali pondere salis

commu-

communis,& rora semper cũ oleo capillorum rectificato,in loco,in quo ſiccetur,ponendo, et cũ bene & optime contritum fuerit,& unitũ quaſi ſalſa cũ oleo dicto,tunc iterũ deſicca in uaſe uitreo,inter cineres calidos,uel ad Solẽ,et ſiccetur uſquequo fiat materia dura, tunc iterũ tere optime, & rora cũ oleo capillorum,ut prius,donec optime uniatur,& fiat ſicut ſalſa,& deſicca fortiter, & tunc poterit eſſe Ceratum. Huius probationis ſignũ eſt,ſi ſuper laminam uel denarium proiectũ ut cera fundetur. Et ſi nõ ſic,iterũ incera, & imbibe cũ oleo iam dicto,& ſicca uſq; ad hoc deuenies,quod cito eueniet. Ipſo ſic cerato, habeas acetum fortiſsimũ ter diſtillatum,& ſi nõ ſit bene acutũ,pone decimam partẽ ſalis ammoniaci ter ſublimati,& cũ iſto aceto cera totũ prædictum, donec fiat ſicut ſalſa optima clara,& ſic incorpora,tere & diſtempera,& pone in uaſe uitreo clauſo, cum ſtupis,in fimo equino cõtinue calido, per uiginti ſex dies, uel circa, ſitq; fimus ſubtus & ſupra,& in circuitu ad ſpiſsitudinem unius cubiti,& uigeſima ſexta die extrahatur, & diſtilletur per filtrũ, & coaguletur inter cineres calidos, in maſſam nigrã, & ſiccam,aperto uaſe. Ipſum ſic coagulatũ,proba. Si ſuper laminam ignitã fluat,& nõ fumiget,quod eſt ſignũ purgationis, cerationis,& fixionis,ſi uero fumigauerit,nõ eſt fixum. Reitera ergo per eundẽ modũ opus ſolutionis & coagulationis, nam per ipſas cito figetur. Mercurio aũt ſic cõpleto, utere ſuper cuprum, ſicut de ſulphure dicetur, & uertetur in Lunam. Etſi in dicta Mercurij congelatione, æquale pondus Mercurij poſueris cũ decimo uel ſeptimo pondere ſalis ammoniaci,ter ſublimati,& oleo capillorũ,uel ſaltẽ ouorum,ut prædictum eſt ceraueris, & ſolueris, & coagulaueris,citius figetur,& abundantius operatur. Si autem ad rubeum fuerit

præparandum, roretur cũ oleo quarta pars sulphuris prædicti, et ceretur cũ septimo pondere salis ammoniaci, et tertio pondere calcis Solis, et oleo rubeo in capitulo sulphuris post dicendo, et ceratum soluatur, & coaguletur, sicut prædictum est. Et si proiectum fuerit super Lunam præparatam, ut dictum est in capitulo suo, quantum sufficit ad oculum conuertet, ipsum in Solem uerum.

De Arsenico. CAP. XX.

ARsenicum est corpus minerale compositum ex terra & aqua fortiter commixta, oleagineum quidem, ut sulphur, minus autem in oleo, plus in terra abundans, sulphure grossius et terrestrius. Huius autem præparatio, pro prima sublimatione est, ipsum commiscere cum rebus desiccantibus, & consumentibus oleaginitatem eius, quæ est prima humiditas, et aquam scilicet superfluam, quæ est humiditas secunda euaporans. In Dei ergo nomine accipiatur arsenicum bene lucidum, ponderosum, rubeum, uel citrinum, tere minutissime cum æquali pondere et dimidio Veneris limatura, uel scoria ferri, roreturq; cum aceto, & bene incorporetur et siccetur, & cum suis fœcibus ponatur ad sublimandum inter duos lectos pulueris, cum quo sublimatur, ad spissitudinem digiti circum circa, Et sic detur ignis lentus quousq; uapor humidus cesset, tunc claudatur et lutetur uas optime. Et detur ignis deinde magis fortior, ultimo fortissimus usquequo totum sublimetur, postea dimitte infrigidare. & colligatur quod apparuerit supra fœces, & remisceatur cum nouis fœcibus et pulueribus, sublimeturq; iterum ut prius, donec sit album, mundum, lucidum, atq; cristallinum, omni humiditate & superfluitate consumpta. Hoc autem fieri potest cum dictis pulueribus in quinta uel sexta sublimatione.

matione. Et hoc habito, utere eo soluto, et congelato, omni modo, sicut de sulphure dicetur, siue ad album, siue ad rubeum fuerit. Nota tamen quod arsenicum non tantum ualet in conuersione & coagulatione Mercurij, quantū sulphur, nec ita naturaliter, et abundanter operatur in cæteris sicut sulphur. Potest autē ex eo trahi uirtus ignea. Et idem opus ad rubeum fieri potest, sicut de sulphure dicitur, minoris tamen uirtutis est, et efficatiæ. Cum sulphure autem omnia metalla comburi possunt, quàm diu unctuositatem suam retinet, donec calcinentur, & puluerisentur, nigrescunt tamen cum eo de sua unctuositate.

Quomodo sulphur præparatum & purgatum ut supra, operatur ad album super Mercurium.

CAP. XXI.

Recipe Mercurij uiui libram unam, Iouis mundati & fusi, libras quinq;, puluerisa in mortario lapideo, cum tantundem salis communis assati, & tam diu cum pistillo ligneo ducantur absq; ulla humiditate, donec sal fortiter denigretur, postea laua tociens cum aqua dulci, donec tota nigredo exeat, desicca. Iterum tere cum sale, & laua, quousque neq; in sale, neq; in aqua nigredo aliqua appareat. Vltimo adiuncto sibi tantūdem salis, assabis lento igne, tere simul in patella terrea per horam ut sal siccetur. Et cum Mercurius uolare cœperit, proijce in mortario ut prius, & tere optime ut prius, donec sal ualde denigretur, ex humiditate, & nigredine sulphurea, Tunc extrahatur sal cum aqua, ut prius, lauetur, & desiccetur. Et per hunc modum purgatur Mercurius à sulphurea nigredine, ac stannum similiter, per contritiones & assationes.

Toties

Toties ergo reitera tu artifex, donec ab eis omnino humida atq; sulphurea extrahatur nigredo ipsorũ. Ego aũt, ut dictũ est duodecies triui cum sale, & duodecies assaui, & extracto inde sale, fudi simul, & inueni massam albissimã & mundissimam, sed frangibilẽ ualde. Et hoc ideo, quia argentũ uiuum nondũ erat digestũ, nec coagulatũ, nec fixum, sed erat tantũ mundum, & purum, & cũ eo tenebatur Iupiter sine stridore, quia nube nigra atq; citrina carebat. Et hoc fuit signũ, quod minus sulphureitatis habuerit. Ambobus sic præparatis, sulphur paratũ & fixum, ut prius dictũ, est coniungendum, hoc modo. Fundantur ambo simul, & super ipsa fusa atq; ignita fortiter, proijciatur septima pars sulphuris prædicti, immersa omnino in medio amborũ fusorũ, & teneatur ibi sulphur cũ tenaculis, quousq; dissoluatur cum eis, quod cito fiet, quo incorporato, statim ab igne deponatur, & proijciatur in aceto distillato, & inuenietur massa alba, mollis & frangibilis. Cuius ratio est, quia cruda & indigesta, & nõ bene coagulata est materia. Quia argentũ uiuũ est crudũ & indigestũ, & stannũ non omnino cõiunctũ nec coagulatũ, propter quod ab ignis uiolentia statim per nubes seiungitur, sicut in sua fusione patet. Sulphur autem mundæ cõpositionis est, nec utrumq; sine magna decoctione & longa coagulat. Fiat igitur uas terreum in modũ paropsidis coopertæ, in superiori parte foramen habens, in quo uase ponatur massa huiusmodi, & clauso uase, ponat̃ ad ignẽ, & sit in illo per tres dies naturales, ut massa coquatur & digeratur beneficio ignis, & sulphuris cõponentis, & ne Mercurius à Ioue & sulphure sublimando discedat, qualibet hora reuertatur uas, capite inferiori superius posito, ne Mercurius sulphuris coagulantis & cõponentis, eum, eius usq; tactũ effugiat, per hunc autem

modum

modum procreabitur maſſa argentea, alba, pura, malleabilis, & fixa. Hanc autem congelationem Mercurij à natura, et minerali cõgelatione, ut potui, breuius & leuius, faciliusq; exemplificaui, cœtera uero intelligenti dimitto. Hoc tamen addo, quod Boracem præ omnibus in conſolidatione, & ductibilitate, exaltandum prænuntio. Iupiter abſq; dubio faciliter, & cito præparatur, ut dictum. Et dictum ſulphur corrigitur & nobiliter emendatur, & dealbatur, incorporatur, & fœtorem amittit, humiditatem aſſumit, & nigredo cum fractione temperatur, ac Lunam imitatur.

Quomodo prædictum ſulphur operatur ſuper Iouem.
Cap. XXII.

FVnde Iouem ad ignem fortem, nubem ſuperfitialem ſemper aufferendo, uſq; dum totus per nubem conſumetur. Tunc collige illam, & bulias in aceto fortiſsimo, per dimidium diem, & tunc cola per pannum, & exprime, & tere cũ æquali pondere ſalis communis, uſq; quo nigreſcat, & laua ut ſupra dixi, duodecim uicibus, renouando pondus ſalis. Et ſic erit Iupiter optime præparatus ad medicinam ſuſcipiendam. Da ergo ei ſulphuris prædicti pondus ſeptimum, imponendo illud in ipſum fuſum, & tenendo uſq; dum diſſoluatur, & incorporetur ab eo, Iupiter autem difficilius funditur quâm prius. Quia calcinatus eſt, ſed reducitur ad fuſionem & malleum ſic. Recipe boracis calcinatæ in tegula ſuper ignem, & diſſolue ipſam in optimo uino, qua diſſoluta, immerge calcem Iouis intus, & fac bulire tam diu, quo ad tota exhalet uini humiditas, & ſtatim imbibe calcem iſtam cum ſaguine porcino, & fortiter ſuffla, & fundetur ſtatim, tunc iam paratus eſt ad dictam medicinam ſuſcipiendam, qua ſuſcepta, inuenies Iouem dulcem, & bene compoſitum, ſine ſtri-

dore, Lunæ præparatam, tanquam socium & amicum. Luna uero sic præparatur. Primo purgetur cum Saturno, postea proijciatur in uirgis, igneatur decies, & qualibet uice extinguatur in saguine porcino, & post laminetur tenuiter, & fundatur cum modico boracis de nouo, & iterum proijciatur in uirgis, atque igneatur decies, & qualibet uice extinguatur ut prius, ultimo funde cum boraco, & lamina, ut ante dictum, & sic remaneat laminata. Et pro certo scias te habere Lunam dulcissimam, & purgatam, qua fusa, adde ei decimam partem prædicti sulphuris, & habebis Lunam Iouis amicam prædictique stanni uel plumbi uelocitate, fundetur. Hanc uiam aperui, & quæsiui, & per eam ambulaui, & ad optimum terminum perduxi, quamuis ad effectum diminutũ, eo quod ad cinericium non posui, pro eo quod sulphur non habui. Scias pro certo, quod istud capitulũ est uerum, per me probatum, & nota hic præparationem Iouis bonam.

Quomodo dictum sulphur operatur super Venerem. Cap. XXIII.

Viso qualiter utendum est sulphure super Mercurium & Iouem, uidendum est etiam, quomodo utendum sit supra Venerem. Igitur accipe Venerem præparatam, ut dictum est, de Venere præparanda, funde, & super ipsam fusam decimam partẽ prædicti sulphuris proijce, & egredietur statim citrinũ. Tunc proijce per uirgulas in saguine porcino immersas, & inuenies Venerem ferè in proprietatem Lunæ conuersam, ipsius albedinem habeas uel ferè, & dulcedinem in fusione & malleo, & compositionem bonam, ita ut non sentiatur igneitas, & Lunæ coniuncta, fortiter se cõmiscet cum ea, ita ut per cineritium, uix ab ea euelli potest. Nam ferè in na-

in naturam ipsius conuersa &c. Sulphuris huius præciositas in tantum in Lunam operatur. Sed in Solem per amplius inuenimus. Cum enim debite præparatur, Lunam debite præparatam certissime conuertet in Solem. In Dei ergo nomine accipe sulphuris quantum uis, & tere minutissime, & fac ad ignem lentum, & in olla terrea assa uel bulito, cum urina dispumata & distillata, per dies septem, donec citrinitas tota egrediatur, seruato ordine ignis lento, ut præ nimio calore, non egrediatur aliquid de unctuositate, sed tantum tinctura, scilicet citrinitas, quod uerbum est secretum & absconditum. Remouetur enim statim urina, quàm cito fuerit tincta, sicq; remoueatur semper, usquequo tota citrinitas, seu tinctura, recessit cum urina. Humiditates autem omnes extractæ cũ urina & tinctura, simul ponantur in uase, & distillentur cũ igne lẽto, usquequo incipiat exire aqua citrina, & demũ rubea, quoniam in illis erit tinctura, & illud quod quærimus, uel saltem pars eius. Aqua autem, quæ primo exit alba, non est nobis necessaria. Et distilla usq; ad fœces nigras, ut prius, & has ad aliam partem serua. Quoniam in illis est tinctura, & iste est ignis Chibric, & hoc est uerbum secretissimum. Istum ignem ad partem suscipias, & aquam quæ fuit citrina & rubea, secundo distilla & serua. Ignem ergo prædictum buli in aceto fortissimo distillato, & igne temperato decoquas, ut quod ibi est de causa adustionis, quamuis modicum sit, si bene egerit, destruatur. Et post bulitionem & decoctionem, modicum de ipso siccum, Lunæ fusæ superiecta, quoniam si denigrauerit, uel combusserit, scito quod cum igne aliud extraxisti. Si rubefacit, uel citrinat, absq; combustione & nigredine, bene quidem factum. Si ergo causa combustionis ibi est, decoque in igne cũ aceto, donec consu-

consumetur. Tunc ignem suum siccum & præparatum iun-
ge, & cera, ut dictum est, cum triplo prædicti, sulphuris albi
& mundi, uno addito pondere salis ammoniaci, ter sublima-
ti. Hęc tria quidem cera, & comple ut dictū est in compositio
ne sulphuris albi, ac solue & coagula, & proijce quantum uis
ad oculum, super Lunam præparatam, ut in capitulo suo di-
ctum est, & uertetur in Solem optimum, ad omne iudicium
sustinendū. Aliqui libri inueniuntur, quibus credendum ex-
istimo, quod perfectum esset Elixir, si hæc quatuor in eadem
compositione ponerentur, scilicet Chibric, id est, sulphuris
purissimi & albissimi pars una, Ignis prædicti pars alia, &
ista simul terantur, cum una parte salis ammoniaci, ter subli-
mati, et prædicta aqua rubea distillata, unū tamen istorum
bonū æstimo. Et inueniuntur libri, quod quidem certum est,
unctuositatē sulphuris non posse auferri ab eo totam absq;
corruptione eius scilicet assando cū rebus desiccantibus, sed
per extractionē quæ sic fit buliendo. Tamen cum aquis acu-
tis uel oleo, donec extrahatur ab eo, supernatans ex acritate
sua, quod uerum est. Aquis tamen acutis si quis nouerit illis
uti, uertent illud ad optatū. Et aufferent ab eo omnem imper
fectionem, et uolabit cum ipsis. Et utinam hoc bene notes.

De uegetabilibus & animalibus. Cap. XXIIII.

ET quia Diuus Thomas, postquā in opere suo tractauit
de corporibus superioribus, tractat quoq; de inferiori-
bus, Et diuisit illa in animalia, plātas, et mineralia etc. ac lo-
quitur de singulis, singulares lapides cōponēdo. Ergo multi
Philosophorū lapidē putant esse triplicē, scilicet mineralē, ue
getabilē, et animalem. Materiam aūt horum lapidū propin-
quissimam, nunquam Philosophi expresse nominauerunt.
In minerali tamen posuerunt MERCVRIVM, In uege-
tabili

tabili quintã essentiam uini, In animali sãguinẽ humanum præparatũ. Ne igitur huic operi aliquid deficiat, illa ponemus breuiori uia, qua possumus. Exsecuto igitur breui sermone, de spiritibus mineralibus, de uegetabilibus & sensibilibus est agendum. Inter uegetabilia frumentũ tenet principatum, Anima uini, & sal tartari. Inter sensibilia capilli humani, sãguis & urina, ouaq; gallinæ. Est autem fere idem modus operandi, in omnibus. Oportet autẽ hæc munda eligere, & electa putrefieri, ut dissoluantur partes elementales, ut sint apta ad extrahendũ, & partiendũ, per quatuor elemẽta. Bene igitur ipsis putrefactis & dissolutis per uiginti duos dies extrahantur, & in cucurbita ponantur, aptentur, & distillentur, cum lento igne, & seruetur ordo, ut aqua tota, quę alba exierit, ponatur ad partẽ, deinde quæ citrina exierit, uel rubea, similiter ad partẽ ponatur, & sic continuetur distillatio, quousq; cesset fumus, & remaneat in cucurbita terra nigra, & sicca. Itaq; liquor qui albus exierit in distillatione uocatur aqua, Inhumatio aũt in fimo interposita inter distillationes iuuat, ut ad signum perfectæ desiccationis perueniat, quod est splendor et cristallina serenitas, et absq; fœcibus nisi forte albis, & hæc aqua uocatur aqua uitæ. Et cũ hac aqua, spiritus cerãtur, soluũtur, coagulantur & figũtur. Aqua uero tota quę citrinitatẽ, & ruborẽ habuit, usq; ad siccas fœces, aërem, ignẽ, & oleum cõtinet in se, quã sic separabis. Pone totũ liquorẽ clarũ, absq; nigredine & fœcibus, in cucurbita, & distilla cũ lento igne usq; ad fœces nigras. Hoc ordine, aquã exeuntẽ albã, in hac secunda distillatione, ad partẽ pone, quousq; uideas egredi oleum, cuius signa sunt, gutta spissior, color intensior, & leuitas aërea. Quia si prædictæ aquæ miscueris supernatabit, tunc scias oleum egredi, quod ponas

ad partem, & ſic ſeparabis ignem & oleum. Ignem uero in hac diſtillatione ſecunda, inuenies ſiccũ & ruffum uel nigrũ, ſicut terra in prima diſtillatione. Et ſic quatuor elementa ſeparabis, Rectificatio autẽ aquæ & olei eadẽ eſt, & eadem ſigna habet, & horũ quidem inhumando diſtillatio debet fieri, uſq; ad criſtallinam ſerenitatem. Ignis autem ſic rectificatur. Tere ipſum, & permitte diſiccare in ſole uel igne lento, uſq; dum ignem calcinationis ſuſtineat, tunc calcina igne moderato, quouſq; citrinus, ruffus, uel rubei coloris efficiatur. Si autem fuerit ualde citrinus, erit eo melior, & eſt ſignũ perfectæ rectificationis ignis. Tunc hoc modo ad rectificationem terrę accedas. Tere terram ſiccam, et imbibe cum aqua ſua, ſiccando ad Solem, uel ignẽ lentũ, terendo, & imbibendo, & exſiccando, quouſq; biberit duplum ſui, tunc ipſum bene ſiccatũ prius cũ lento igne, deinde fortiori calcina, uſq; ualde ſit ſicca, deturq; ignis, quaſi ad ſublimandum Mercurium. Et ipſam quoq; ſic ſiccam, tere iterũ, & imbibe alio duplo aquæ ſuæ. Et hoc facto ſicca lente, & poſtea fortius, donec ſit ualde ſicca, & tũc eam iterũ imbibe, ſeptuplo ſuo, aquæ ſuæ, & eam deſiccatam calcina tertio, augmentando ignem calcinationis, imbibe & quarto alio ſeptuplo aquæ ſuæ deſicca, & calcina, & tere optime, cum tertia parte illius ſeptupli, quouſq; ſit quaſi ſalſa optime trita, & diſtemperata, pone in phialam uitream, cũ modico bombicis obturatã ad ſoluendũ ſub fimo ualde calido, per tres dies uel plures, obturata ſit tamẽ phiala, tũc ſolutam extrahe, & coagula atq; leuiter calcina, & fac eam bibere, reſiduũ aquæ eius ſeptupli, & ſicca & calcina eam, cũ igne ſolito. Nam tũc erit ualde citrina. Tũc omnino eſt agendũ ut prius, ſcilicet imbibẽdo eã bis, cũ quintuplo ſui, &c. & iterũ bis, cũ triplo ſui exſiccando

cando & calcinando, post quamlibet imbibitionẽ. Et sic bibet unũ pondus terrę, quinq; aquæ, & tũc erit rectificata, albior & lucidior myrrha & thure, incõparabilis omni thesauro. Tunc in nomine Domini rectificatis quatuor elementis, ad elixiris cõpletam operationẽ et perfectionẽ, hoc modo deuenies. Terram prædictam siccabis bene, & optime tere, & imbibas cum oleo suo, id est, aẽre suo rectificato, siccando & imbibendo, quousq; sicca super Venerem ignitũ posita, fundatur ut cera, & in Lunæ cõuertet proprietatem. Et tũc uicissim tere eam, cũ aqua sua, donec sit quasi salsa bene clara & trita, pone ad soluendũ, in fimo calido ad minus tres dies, solutam coagula, inter cineres calidos, & habebis thesaurũ prætiosissimũ. Et de hac dicũt Philosophi, proijce unũ pondus super centũ Veneris præparati, & uertet in Lunam puram. Hoc autẽ est secretum maximum totius Philosophiæ, ab omnibus fere absconditum. Si autem ad solem operare uolueris, ut prædictum est omnino facias, hoc addito, quod tribus partibus terrę rectificatæ, unam ignis addas. Et hoc totũ cera, cũ oleo suo, ut dictum est, & ceratũ solue, et coagula, ut prædictũ est, et proijce unũ pondus supra quinquaginta lunæ præparatæ, ut dictũ est in cupitulo suo, tunc cõuertetur in solẽ uerũ absq; dubio. Licet hæc inexperto absurda uideantˉ, nemo tamẽ oĩa nouit, & stulti etiã aliquando sapiũt. Collige ergo tu, quę tibi placẽt, quę uero displicẽt, relinquas, sed si uerũ ordinẽ atq; essentiam nosti, & qua nam uia, quoue pacto actiua passiuis conueniant, & quàm lata quàmq; profunda sit, hæc magica & naturalis applicatio, forte ea quæ in hoc capite leges, non condemnabis.

Capilli & oua sunt putrefacienda, sub fimo calido equino, non contemnat quis putrefactiones spirituum, & solutiones

solutiones eorum,quia pro certo ex his accipiunt bonitatem digestionis. Nota,quod melior spiritus ouorũ, dicitur esse in testis exterioribus, & dealbantur per calcinationẽ solam, debentq; primo purgari à tela, & postea teri, demum ablui, quando munda sunt in simplici capitello, & abluti, poni in forti uase terreo cooperto,factis aliquibus foraminibus paruis in circuitu uasis,et in cooperculo, ut fumus exire possit, debetq; uas poni in igne fortissimo, sicut est ignis uitreariorum,per diem & noctẽ,uel usq; satis de candore recipiat,tũc imbibenda est illa calix,aqua sua & oleo suo,usquequo fundatur sicut cera. Habita hac calce albissima, teres eam super marmore,cũ aqua sua rectificata, donec sit quasi salsa,& ꝑmitte eã siccari in sole, uel lento igne semp terens,imbibẽs, donec biberit ęquale põdus. Tũc siccatã massã accipe,tere, et resolue in aqua ꝓpria,sicut salsa, bene clara, & optime tere & cõmisce super marmore,distemperãdo cũ massa prædicta. Nã cũ uelocitate funditur,& si intrat,totũ cõpletũ est negotium. Sciendũ tamẽ est quod quanto pluries hæc medicina soluitur,tanto melius operatur,& figitur,et perfectius intrat. Sciendũ etiã quod medicina tantũmodo dat colorẽ, & in fusione metallũ à confusione cõseruat. Si uero aliquo casu uel defectu operantis,metallũ,uel quod conuerti debet, post medicinã proiectã,fuerit nimis durum,nõ bene dulce operationi,succurres ei pro malleatiõe sic. Ipsum extingue decies in saguine porcino,postea tenuiter laminatum, cubet inter duos lectos,salis communis,et tartari,boracis,tere cũ media parte saguinis porcini,& sic totũ funde, per hanc uiam, sed oportet reiterare,et deuenies ad mollitiẽ et dulcedinẽ quam uolueris. Si aũt nimis molle fieret,et nimis cito funderetur, extingue illud decies,uel quoties uideris oportunũ,& durius

efficietur, & tardius fundetur. Si autem non sit sufficiens, addatur plus de medicina, uel comisceatur metallum simile præparatum & purgatum. Si autem de colore nimis fuerit in Sole, quia Luna non potest esse nimis alba, ponatur minus de medicina, & magis de metallo conuertendo. Si ex toto colorem bonũ non habuerit, tunc fumus capillorum colorem emendabit, sal commune, & cæpa marina, seu squilla colorem emendabunt, & meliorabunt. Si aũt medicina non bene intret corpus metalli, quod est ex defectu cerationis, succurre cũ oleo ouorum uel capillorum, & cum sale ammoniaco. Si autem intrauerit bene, & male remanserit, quod ex defectu fixionis est, succurre cum oleo per incerationem, & coagulationem, & solutionem. Si autem bene intrauerit, & bene remanserit, & non bene tinxerit, quod est ex defectu purgationis, uel corporeitatis, sublimationes reitera, & corpus metallorum auge in medicina. Scimus autem quod diuersitatem metallorum, secundum speciem depurationis & digestionis, diuersitas operatur. Diligenter igitur purgẽtur & digerantur metalla, & medicinæ multo magis, quàm ipsa. Quoniam ipsius est, supplere defectum ipsorum, quantum ad depurationem & digestionem metalli. Quod quidem facere non possunt, in tam modica quantitate suscepta, nisi summa in eis fuerit purgatio, atq; digestio. Summa autem depuratio haberi potest in spiritibus uolantibus per sublimationes, calcinationes, ablutiones, & imbibitiones. Summa autem digestio, haberi potest in utrisq; spiritibus, per cerationes cum oleis calidis, & humidis, & solutiones in aquis prædictis acutis.

Sciendum est, quod ad hoc ut spiritus perpetuam dent tincturam, primo debent lauari, deinde sublimari, post incerari,

rari, tunc dissolui, ultimo in formam cristillinã reduci. Sublimantur autem ut mundificentur. Per sublimationem enim abstrahitur purum ab impuro. Etiam sublimantur spiritus, ut apti ad medicinam efficiantur. Corpora autem ad hoc, ut tincturam recipiant perfectã, purganda sunt per aquas acutas, uel per ipsorum calcinationem, uel in aqueæ substantiæ reductionem. Vnde corpora calcinantur ut deleantur accidentia corrumpentia ipsum spiritum, & impedientia ipsam tincturam, spiritus calcinantur, ut melius figantur, & citius. Soluuntur autem corpora, ut melius posſint coniungi spiritibus, & retinere eos. Ad hoc etiam soluuntur, ut aqua clara efficiantur. Et ideo congelantur, quia pulueres melius possunt deferri quàm aqua. Spiritibus itaq; & calcibus resolutis uehementer, omnes permisceantur simul, in aquea & fluida substantia, ut ex liquore omnium substantiarum fiat una res stans, tingẽs, profundans, cõsolidans, & perseuerans. Postea congelabis totum, in hunc modũ. Claude os uasis diligenter, & pone super cineres calidos, & permitte ad biduum, donec coaguletur. Et tunc proijciatur parum de isto coagulato super laminam ignitã. Et si summa uolatilis superat summam fixi, scias quod non bene operatus es, sed errasti in calce. Ingenieris ergo ut addas de calce, pone ergo plus de calce in totali congelato, & pone sub fimo ut prius, & fiat aqua currens, & postea coaguletur, & probetur eius perfectio cũ experientia in proiectione. Vnde docet Rhasis in libro perfecti magisterij, dicens: Hi enim spiritus super ignem non perseuerant, sed deficiunt paulatim, & ab eo fugiũt, & euolant, nisi adinuicem inenodabilibus uinculis, & artificiosis ingenijs indissolubiliter constringantur, quæ diuturna constantia, subtili meditatione, indefessa simul instantia, & operatione, quæ
post

post multiplices laborũ fallatias, & operationum diuersa Sophismata, & Philosophia perfectissime cõsequuta, & eorũ archana suis postmodũ relinquat filijs. Sed ut nos finẽ collectaneis imponamus, quæ necessaria huic operi colligãtur, annectemus. Et scias primo quod uolenti in hac arte proficere, necesse est ut sciat, sublimare, calcinare, soluere, distillare, cõgelare, inhumare, atq; cerare. Et breuiter, balnea, furnos, & uasa singula præparare. Ideo de singulis breuiter dicamus.

De Sublimatione. Cap. XXV.

SVblimatio est, cum res aliqua ab inferiori parte uasis, in quo est, per aëra ad superiorem partem leuigatur. Et fit tripliciter, seu tribus rebus competit. Cõpetit enim aquis in distillatorio positis, ut in alembico cũ suo recipiente, propter fortitudinẽ ignis conuertantur in aëra, quæ, cũ illis non pateat exitus, cõuertuntur in aquã. Conuenit etiã spiritibus ut apti ad medicinã efficiantur, & huic debet dari à principio ignis lentus, & porro augmentetur. Tertio: Cõpetit corporibus ut uniantur spiritibus, ut ipsos retineant, & debent corpora primo calcinari, & tunc cũ spiritibus sublimatis etiã sublimari, & huic debet dari ignis primo fortissimus â principio, ut spiritus secũ deportẽt corpus &c. de quo prius dictũ est.

De Calcinatione. Cap. XXVI.

CAlcinatio est rei per ignem puluerisatio, ex priuatione humiditatis, partes consolidantis, quod fieri in arte necesse est. Non enim fit plena & perfecta mixtio corporum et spirituum, nisi utraq; in aquã resoluantur, quæ est metallorum prima materia, quod nequit fieri quàm diu habent humiditatem naturalem, quæ ea facit fundi, liquefieri, & moueri in igne admodum aquæ, & tenet partes corporum in eis continuas & firmas, & nihil potest eis admisceri

per quod posſint in aquam redigi. Vnde neceſſe eſt quod talis humiditas ab eis remoueatur, ut non posſint fundi, ſed ſtent in igne ut cinis uel lapis calcinatus. & tunc poſſunt imbibi ſeu incerari ſuper marmore cum aquis, ipſa potentibus diſſoluere, ut aqua ſalis ammoniaci, uel alijs aquis acutis, toties, donec ſolui poſſunt. Quia tunc quælibet pars aquæ diſſoluentis, poteſt bene miſceri cum qualibet parte corporis diſſoluendi.

De diſſolutione. Cap. XXVII.

Diſſoluere eſt corpus calcinatum in aquam redigere. Vnde ad hoc tria ſunt neceſſaria. Ipſum corpus calcinare, & calcinatũ incerando cũ aqua diſſoluere, imbibere, et imbibitũ aſſando deſiccare, & poſtea in uaſe ponere in loco diſſolutionis. Et cũ aliquandiu ſteterit ibi, ſi quid fuerit inſolutũ, iterum imbibatur cum ſoluto, & hoc totiens, donec totũ ſoluatur in aquã. Modus ſolutionis eſt talis, ut facias foueã in aliquo loco humido, rorido, uel in ſtabulo equino, ad menſurã profundã duorum cubitorũ. Et ſi locus non ſit bene humidus, perfundatur ipſa fouea cũ aqua, donec ſit bene humida per totũ, poſtea pone arenã, ſpargendo eam in quantitate, ſicut tibi uidetur, & aquam deſuper ſpargendo, donec ſit bene humida. Et pone ampullã ibi, cũ re humida ſoluenda, ſeu medicina. Poſtea claude ampullam optime cum cera, & ſuper ceram pone arenam humidam, & dimitte ibi eſſe per ſeptem dies, uel plus ſi uolueris, & ſoluetur in aquam. Quidam ſoluunt aliter, ſcilicet cum lento igne in balneo Maris. Alij in loco humido & frigido. Nota quod non ita de facili ſolues ſicut uelles, ſed fortiter deſicca & calcina, & multotiens incerando, tam diu quo ad totum ſoluatur. Non ſis ergo tardus nec putes uice una totum ſolui, Fac ab A uſq; ad G.

nec

nec credas unq; ab A usq; B. Quomodo aũt res solutę debeãt cõgelari, satis patet, quidã uero soluere uolẽtes, recipiũt amphorã, & ponunt parũ de aqua in fundo, atq; amphorã dictam ponunt subtus terrã, & suspendũt ad fundũ aquæ ampullã, ubi est illud quod debet solui. Postea cooperiunt amphoram arena frigida, et postea cooperiũt totã foueã, & dimittũt à sero usq; ad mane. Deinde recipiunt illud solutum.

De Distillatione. CAP. XXVIII.

DIstillatio est aquarũ guttatim cadentiũ mundificatio, & hoc fit quidẽ per filtrũ scissum, ad modũ ferri lãceæ, q̃d ponitur in scutella ubi est aqua distillanda. Fit etiam per ignẽ in cucurbita uitrea bene obturata, apposito recipiente, et sup fornacẽ locando, in terreo uase, ubi sint cineres mediũ inter uitrũ et ignẽ, &c. Tertio fit per aquam in balneo maris.

De Assatione. CAP. XXIX.

ASsare est res inceratas in uase uitreo positas, in cineribus calidis prope ignẽ desiccare, sæpius uertendo uas ad modũ assaturę, mouendo materiã aliquando cũ baculo.

De Inhumatione. CAP. XXX.

INhumatio est rei siccæ soluendæ, uel solutæ in fimo positio, quæ fit duplici de causa. Vna quia si ponitur aliquid in fimo equino, ut soluatur id quod imponitur aliquando cũ duabus partibus fimi equini, ponitur una pars stercoris columbini, & miscentur fortiter cũ aliquantulũ aceti irrorando. Secunda, ut res ibi positę plenũ matrimoniũ recipiant ad instar Embrionis in matrice. Et fit tali modo. Fiat fouea in profunditate, et latitudine duorũ cubitorũ, in loco ubi uentus non possit flare, nec sol radiare, & fac ibi ignem de carbonibus per sex horas, ut fouę frigiditas cõsumetur. Postea abijce carbones & cineres, et pone in fundo foueæ, de sim-

plici fimo equino ad spissitudinẽ unius pedis. Et post in medio foueæ, de fimo equino mixto cũ fimo columbino, ad spissitudinẽ quinq; digitorũ. Et in medio foueæ pone formã de ligno ad modũ urinalis, & circumquaq; pone de fimo equino mixto ut supra ad quatuor digitos. Et ita potes ponere quatuor uel quinq; formas, post extrahe formas, & pone ibi urinalia de uitro cũ rebus suis, & sint bene obturata, primo cũ panno lineo, post cũ panno cerato, & post cum bitumine facto de albumine ouorũ, & calce uiua, post iterũ cũ panno cerato, & post ponatur parua scutella, super quodlibet urinale, & super quamlibet ponatur unũ cannale, per quã proijcias bis in die naturali aquã calidã, ut fimus semper maneat humidus & calidus. Post imple foueam cũ fimo equino simplici, & renoua, de septimo in septimũ diem. Hæc dicta immediate est præparatio balnei calidi & humidi ad rerum dissolutionem, quæ calido & humido habent dissolui, sicut sunt res inceratæ cum aquis acutis, uel etiam tales possunt dissolui in balneo Mariæ, & quomodo hoc fiat, patet.

De Inceratione. CAP. XXXI.

INceratio est, quando aliqua imbibuntur cum liquore aliquo, ut partes melius uniantur uel etiã dissoluantur. Vnde fit triplici de causa. Primo ut res dissoluatur una per aliã, ut quando spiritus & corpora imbibuntur cum aqua salis ammoniaci. Secundo ut uniantur & unitæ retineat una aliam. Vt cum spiritus sublimati imbibuntur cum aquis corporum, quæ ipsos retinent, & figuntur. Tertio ut melius admisceantur & depurantur, quod fit cum res antequam sublimantur imbibuntur, cum liquore desiccante & penetrante. Sicut sal commune & similia.

Præcepta Alberti. CAP. XXXII.

Super

SVper omnia moneo ut sis cautus in tuis operibus, ne in aliquo desitias, ita ut ueritas ad tuū intentum prodeat. Primo itaq; in Contritionibus. Secundo in Sublimationibus. Tertio in Fixationibus. Quarto in Calcinationibus. Quinto in Solutionibus. Sexto in Distillationibus. Septimo in Coagulationibus, quam diligentissime labores. Et sic per ordinem procedas & non desities. Si enim tu uis tingere post sublimationem, & soluere & cōgelare sine distillationibus, perdes pulueres tuos, quia cū proieceris, nō remanebunt, sed euolabunt certissime. Si etiam cū fixis pulueribus, qui non sunt soluti, neq; distillati uolueris tingere, id est, cum elixir, non ingreditur, cū corporibus non permiscetur, & neq; sic peruenies ad rei ueritatem.

Vnde Albertus.

Scias autem anteq; ueritatem inueni, uidi multos errores, & defectus. Et ideo in tentando, & errando, uigilando, & studendo, ueritatē inueni, & istum libellum ab omnibus Philosophis defloraui, scilicet ab Hermete, Moriene, Aristotele, et Platone. Et sic postquam tentaui, & erraui sicut prius dixi, ueritatē inueni. Et ideo decreui tibi scribere ueritatem & opera probata, ac meliora omnium Philosophorū, in quibus laboraui, & sum expertus, & nihil aliud scripsi, nisi quod oculis uidi, & probaui. Ostendi tibi thesaurum absconditum, & illud quod multi quærunt, & inuenire non possunt. Manifestaui tibi illud, quod latuit in tenebris, Lapidem, qui uincit omnem lapidem.

Finis Collectaneorum Chymicorum Iani Lacinij Minoritæ.

